This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600005776V

1830. 421.



RUDOLPHI HANOVII

EXERCITATIONUM CRITICARUM

IN

COMICOS GRAECOS

LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

HALIS SAXONUM,
SUMPTIBUS REINICKII ET SOC.

1830.


BIBLIOTHECA BODLEIANA

PRAEFATIO.

Cum primum praestantissima quaeque Graecorum Romanorumque monumenta artium ex diuturnis tenebris in lucem protracta essent, summa illa sententiarum pulcherrimarum et verissimarum copia, iucundissima rerum fortiter et praeclare gestarum memoria, perfectissimaque in eloquendo venustate et elegantia nimium quantum hominum animi capti sunt, fereque perculsi. Rudes antea et inculti, certe a litterarum studiis, cupide tunc flores suavissimos quosque decerpserunt, ipsique ut bene olentium odore tingerentur, magnopere contenderunt. Itaque cum primi illi in Italia philologi sensum afferrent ipsi, terrae natura admirabili coelique amoenitate ad pulchritudinis amorem formatum, vehementer litteras optimas accurata elegantiarum illarum illustratione, rursusque

suis ipsorum exemplis promoverunt, ad communemque omnium utilitatem transtulerunt. Sed debuit eorum, quae formae quasi involucro continerentur, iusta aperiri intelligentia. Extiterunt igitur in Batavia, qui veterem memoriam omnem linguarumque naturam explicare conarentur. Nec Batavis insignis quaedam subtilitas cogitandi, laborumque patientia deerat; sed deerat eisdem, velut depressis aeris crassitudine, quasi quaedam animi viriditas. Quamobrem nulla fere historiae veteris vel antiquitatium pars est, nullus fere Grammatices locus, quin utilissimarum sit observationum copia illustratus ab eis et auctus; praetereaque diligentiam summam testantur scriptorum plurimorum editiones. Sed observabant Batavi res, ut observarentur; explicuerunt scriptores, ut explicarentur; optimarumque litterarum vim in eo collocabant, quod tanquam asperum montis aditum superent necesse est, quicunque laetissimum antiquarum litterarum campum contemplari volunt et habitare. Verum Batavorum quo maior ingenii praestantia, quoque praeclarior laudis fama

erat, eo perniciosius exemplum. Itaque, quod antiquitatis flagitabat dignitas, tandem effectum in Germania est. Posteaquam enim praeclarum F. A. Wolfii ingenium horum studiorum finem explicuit, eaque quasi in urbibus collocavit, constanter Germani ad veram philologiam promovendam diligentiam omnem curamque contulerunt. Tenuissima quaeque persecuti vestigia in remotissimorum temporum statu et conditione quasi redintegranda studiose nunc elaborant; summam operam collocant in alia quadam historiae parte, plerumque spreta et neglecta, quae in hominum velut secundas tertiasve agentium sive in rerum gestarum sive in litterarum artiumque memoria vitis et moribus illustrandis versatur; sed quid sit illud, cuius causa ista similiaque investigentur et explicentur, nunquam non eorum animis obversatur.

Breviter haec exposuimus, ut, quo consilio nos de comicis Graecis commentati essemus, intelligeretur; neque enim ignoramus, quo in genere quantillum a nobis praestitum sit. Quanquam nonnulla, velut caput quartum, longe

auctiora nunc edere licuisset, nisi redemptoris honestissimi rationes impedissent. Quocirca plurima alteri reservanda voluimus, quod, si prius non prorsus improbatum fuerit harum rerum iudicibus, mox ut edatur, curabimus. Ceterum unam usquequaque secuti sumus veritatem; quam ubi non consecuti fuerimus, veniam erroris non denegatum iri adolescenti confidimus.

Scribebam Halis Saxonum m. Maio

CAPUT I.

De Philonide comico aliisque viris cognominibus.

Athenis oriundum Philonidem comicum esse, perspicuo constat Suidae testimonio, T. III. p. 614. Kust.: Φιλωνίδης Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος, atque cum, eodem Suida auctore T. II. p. 625., Nicochares comicus filius fuerit Philonidis, illumque Stephan. Byzant. s. v. Κυδαθήναιον testetur Κυδαθηναιεῦ fuisse, patrem ad eundem pertinuisse demum efficitur; nisi forte ea, quae ad plurimorum similitudinem exemplorum cum accommodata sint, probabilia videri debent, tute aspernare ac respuis, quod aliter omnino non posse esse luculenter demonstrari nequit. Κυδαθήναιον autem pagus est tribus Pandionidis, quode cfr. Photium lex. T. I. p. 183, 14. Pors. et Schol. Platon. p. 373. Bekk. Praeterea autem nec de patre eius traditum reperimus quicquam, et de vitae conditione perpauca; quanquam patri nomen fuisse Nicochari proclive est ad coniiciendum. Sed prima aetate fulloniam ab eo artem exercitam esse, Suidas tradit l. c.: πρότερον ἦν γναφεύς; quod ne contumeliae vertatur poetae, ad Atheniensium opificia factitandi rationem animus attendendus est.

Verum longe est gravior, nostra sententia, quaestio de aetate Philonidis, quae, etsi generatim a Suida l. c. descripta est verbis: κωμικὸς ἀρχαῖος, ad certos tamen, quantum maxime possit, fines astringenda est; qua in re non proficitur quicquam, nisi quae inter

Philonidem fuerit et Aristophanem ratio, haud satis intellecta adhuc, quidque quandove huic ille praestiterit, accuratius explicetur. Itaque ab eis exordiendum est, quae in Nubium versibus 527. sqq. Reis.:

ἐξότου γὰρ ἐνθαδὶ ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὠ κατάπυγων ἄριστ' ἠκουσάτην,
κἀγὼ (πάρθενος γὰρ ἔτ' ἦν, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν)
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο, —

ad verba: *παῖς δ' ἑτέρα* a scholiastis annotata sunt; sic enim schol. Aldin.: Κλεωνίδης (h. e. Φιλωνίδης) *καὶ* Καλλίστρατος· *οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα.* Schol. Brunokii: *δηλονότι ὁ* Φιλωνίδης *καὶ ὁ* Καλλίστρατος, *οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποποιηταὶ τοῦ* Ἀριστοφάνους. Aristophanem igitur ipsum de uno tantum dramate eoque prime, de Daetalensibus, loqui, cum satis perspectum esset ab scholiasta utroque, nam de priore plane hoc testantur verba: *οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ* —, eosdemne arbitremur ad verba: *παῖς δ' ἑτέρα* ascripsisse: *Φιλωνίδης καὶ* Καλλίστρατος eo consilio, ut ab utroque, a Philonide et a Callistrato, histrionum esse partes in ea fabula sustentas declararent? At tantum hercle illi, sive scholiastae, sive alius quis, ex quo sua hauserunt scholiastae, tenuerunt, ut protagonistae mentionem scirent sufficere. Neque in eam partem horum licet annotationes convertere, ut ad primam fabulam censeantur transtulisse, quod de primis fabulis traditur in Vita Aristoph. p. XV. l. 24. 25. Dind., quae Guil. Dindorfii opinio est, Dissert. I. de Aristoph. fragm. p. 40.; ita enim incredibiliter fatuos fuisse scholiastas temere statuitur. Quid igitur? censeamusne, dubitatum esse ab scholiastis, Philonidesne an Callistratus primam egerit Aristophanis fabulam, ac proinde ab eis scriptum fuisse: *Φιλωνίδης ἢ Καλλίστρατος*? id quod videtur Aug. Meinekius censuisse Quaest. Scen. II. p. 40. ann. At vero, mihi crede, sanissima ista particula est. Etenim duo Aristophanis dramata priora ut in scenam producerentur,

non tam histrione opus erat, quam poeta eoque haud ignobili, qui suo nomine ab archonte chorum peteret ac nanciscerétur; qui enim credibile est, histrioni cuidam pro poeta quopiam chorum petenti, totius cuiusdam tribus temere fuisse concreditos sumptus? Atque illud ipsum haud obscure significat Aristophanes in parabasi Vesparum vv. 1017. 1018. Teubn.:

ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν, (ὁ ποιητὴς) πρότερος πόλλ' αὐτοὺς
εὖ πεποιηκώς,
τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἀπορρήτοις κρύβδην ἑτέροισι
ποιηταῖς.

Potuit autem poeta ille, qui pro alio chorum poscebat, aut ipse histrionis partes agere, aut alium quendam adhibere. Quocirca, quoniam in Daetalensibus Callistratum fuisse primarum actorem plano constat testimonio Anonymi de comoedia p. X. l. 15. Dind. hocce: ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου, quemadmodum verba a nobis correcta nunc item a Dindorfio l. c. p. 64. scripta video; scholiastarum illas annotationes ita consequitur accipiendas esse, ut Philonides ab archonte chorum rogasse censeatur. Cum igitur prudentissime a scholiastis verba: παῖς δ' ἑτέρα explicata esse his: Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος demonstratum sit, rursum ex ordine nominum, cum primum poetae tribui locum consentaneum sit, nostra confirmatur sententia.

Sed quod poetae et histrionis partes in primis dramatis Aristophaneis probe discernendas esse contendimus, etiam luculentius apparebit, ubi de proximarum ratione fabularum expositum fuerit. Miror autem vehementer, vel Aug. Guil. Schlegelium, Arte dramat. T. I. p. 300. in ea versari opinione, ut Acharnenses non Aristophanis, sed alius cuiusdam nomine doctam arbitretur. Etenim cum Babyloniorum poeta tantam, tum aliorum, tum Cleonis, hac fabula concitasset iram, ut adeo in iudicium vocaretur, eo certe tempore, licet

obscurissimus antea, omnibus plane innotuerit oportet. Nam Callistratum, ab quo Babylonios datam esse, statim ostendetur, vel iudicii discrimen pro Aristophane subiisse, ecqui credibile videtur? Nostrae autem sententiae si quis existat adversarius, nolim confidenter utatur annotationibus scholiastarum ad Acharn. 661 = 654., et ad Vespp. 1324 = 1275., quae satis scholl. ad Acharn. 386 = 372., 508 = 502. et scriptore Vitae Aristoph. p. XVI. l. 10. Dind. confutantur. Sed magis videantur ad persuasionem appositi esse versus ex parabasi Equitt. 517. sqq.

ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας
καὶ βασανίζειν, ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευσε φράσαι περὶ τούτου. —

Vides, inquit, nunc primum ab Aristophane chorum petitum esse. At vero, si nullam ante Equites suo nomine Aristophanes fabulam docuisset, et persuasisset adeo Callistrato, ut litem a Cleone intentam susciperet, qui tandem potuisset, cum primam fabulam daret poeta, spectatores fingere mirabundos, quod non multo ante chorum petiisset ipse? Aut igitur ineptum quiddam poeta finxit, aut poetam esse Aristophanem, Athenienses ante Equites datam tenuerunt. Quodsi tenuerunt, consentaneum est, tum, cum a Cleone in iudicium vocaretur Babyloniorum poeta, Aristophanis fuisse nomen apud omnes pervagatum. Ex quo Acharnenses, quippe qua lis ista commemoretur vv. 355. sqq. Dind., 476. sqq., 604. sqq., ab ipso esse Aristophane doctam consequitur. Itaque quod scriptor Vitae Aristoph. p. XV. l. 22. tradit: εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχὴν — τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα, prioribus his dramatis comprehendi intelligitur Daetalenses et Babylonios, quoniam Acharnenses ab hac causa seiungendam declaravimus; ac proinde, cum Daetalenses ad Philonidem pertineat, Callistratum suo nomine Babylonios dedisse consequitur. Sed eundem testantur huius fabu-

lae primas egisse Photius, Suidas, et Mich. Apostolius, citati a Dindorfio l. c. p. 56., quorum verba propter aliam quandam rem huc transcribimus; Photius igitur p. 499. init. haec habet: ταὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου καὶ ἐπὶ Εὐκλέους· cum quo congruit Suidas Kusteri T. III. p. 279., recedente paulum Mich. Apostolio XVII, 25. in hunc modum: Τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε δ. Κ. Ἀ. ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου καὶ Ἐπικλέους κ'. Etenim καί particulâ numeri esse notam oblitteratam, in propatulo est. itaque quod in Suidae exemplaribus Basileensi et Genewensi scriptum reperitur: κα', proxime ad verum accedere censendum est. reponendum est enim: ΚΔ', ex quo, lineola illa falso pro ι habita, ortum est καί; quo facto, cum numeri significatio desideraretur, addidit Mich. Apostolius fortasse de sua coniectura κ'. Sed quid Guil. Dindorfio l. c. in mentem venerit, cum, Buherium secutus, κε' scribendum censeret, non assequor equidem; nam ubi quid decem vel centum annis ante archontem aliquem factum narratur, ipse profecto praetoris annus ab hoc numero separandus est. verum a Dionysiis urbanis Ol. LXXXVIII, 2. usque ad ineuntem annum alterum Ol. XCIV., ne integri quidem XXIV. anni sunt, nedum XXV. Quocirca nostram sententiam rectissime, ut post vidimus, Corsinus Fast. Attic. III. p. 235., et Clintonus Fast. Hellen. p. 67. amplexi sunt. Ceterum archonti Ol. LXXXVIII, 2. item Euclidi nomen fuisse, uti a Diodoro nominatur, satis a Corsino l. c. p. 234. demonstratum ex Aristotele est; nam apud grammaticos quidem citatos orta est corruptela ex vicinia eiusdem nominis.

Quae cum ita sint, ex quattuor primis fabulis Aristophaneis aliam alio esse modo in scenam productam patet. Daetalensium enim poeta habitus est Philonides, Callistratus protagonista fuit;

in Babyloniis poetae et histrionis partes Callistratus sustinuit; Acharnensium chorum petiit Aristophanes, primas obtinuit Callistratus. denique Equites suo nomine ipse egit Aristophanes. Quodsi cui, qua argumentandi ratione et testimoniorum auctoritate nostra nitatur sententia, perspectum erit, idonea intelliget destitutam causa esse Dindorfii l. c. p. 40. istam conclusionem, qua Philonidem Daetalensium fuisse protagonistam demonstrari opinatur, mirabiturque, quod propter hanc ipsam conclusionem testimonium illud de Callistrato, Daetalensium histrione, reiecerit, p. 64. ann.; in quo genere saepius idem peccavit in illa dissertatione, alioqui satis laudabili.

Deinceps autem videndum est, quae quibus in fabulis Aristophaneis partes fuerint Philonidis. qua in re primum fides est convellenda historiae illius, qua Callistratum fabulis esse politicis agendis, privatis, vel quibus Socrates Euripidesque carperentur, Philonidem adhibitum, tum Anonymus de comoedia p. X. l. 15., tum scriptor Vitae Aristoph. p. XVIII. l. 22. tradunt, quos dissentientes de nomine recte inter sese conciliavit Clintonus Fast. Hellen. p. 67., probante Guil. Dindorfio l. c. p. 65. Nam vel Augustum Meinekium, Quaest. Scen. I. p. 39., nulli eam narrationem suspicioni habuisse obnoxiam, nisi litteris consignatum esset, non crederem equidem. Etenim, ut a publicorum histrionum sortitione recedamus, et utrumque peculiari Aristophanis usui serviisse statuamus, Aristophanes aut ita eos usurparit necesse est, ut quisque paratissimus esset. quod sanequam probabile est iccirco, quia utrumque scimus item poetam fuisse, et vero Philonidem eadem, qua Aristophanem, aetate fabulas docuisse, quod post uno certe exemplo demonstrabitur, — aut liberam inter utrumque habuit optionem. quod si fuit, eam cuique patet personam esse tributam, quae ad cuiusque ingenium et artem maxime accommodata esset. at pri-

mariam fabulae politicae, ut hoc, licet alienissimo, vocabulo utar, personam ita potuisse comparatam esse, ut alias alii conveniret, et invicem, tum facile est ad perspiciendum, tum bene perspectum Suvernio, Comment. de Aristoph. Avibus p. 59. ann. alt. Ratione igitur nulla istam niti historiam, cum declaratum sit, etiam istorum auctoritatem scriptorum facile licet elevare. Namque recens compositam esse narrationem, neque ullo modo ad Alexandrinorum aetatem pertinere, eo arguitur, quod ne norunt quidem isti auctores tertium quendam Aristophanis histrionem, Apollodorum, cuius in didascalia Pacis mentio fit, quode cfr. Dindorfium l. c. p. 65. Quocirca ex Acharnensibus, Avibus, et Lysistrata, quas a Callistrato actas constat, et rursum ex Nubibus et Ranis, quarum Philonides primas obtinuit, istam arbitror sententiam ductam esse, quod eo fit probabilius, quo diligentius animus attenditur ad verba Anonymi de comoed. l. c., ubi τὰ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους ab Philonide acta tradit, quod ita commutatum est a Vitae scriptore, ut eis τὰ ἰδιωτικά substitueret. Quodsi ab Alexandrinis ista profecta narratio esset, certarum quarundam actionem personarum tum Philonidi tum Callistrato datam concederemus, at distributionem tamen earum a causa supra exposita repetendam contenderemus. Mirum autem accidit, quod Guil. Dindorfius, postquam iure hanc narrationem reiecit p. 65., eandem tamen aliqua ex parte rursus comprobat p. 69., adeoque ea stabilitam vult Pacis didascaliae explicationem suam. Sed revertimur ad propositum. Histrionis igitur partes Philonides egit Nubibus; quod, etsi didascaliae cuiusdam auctoritate, quod sciam, non constat, certo tamen coniicere licet ex verbis Anonymi de comoed., modo exagitatis: τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδη. nam de Nubibus eum cogitasse patet, atque in hac quidem re fide non indignum esse, ostendit narrationis illius origo. Tum Ol. LXXXIX, 2. Lenaeis Proagonem Ari-

stophanis *docuit*, quod infra ostendetur ex didascalia Vesparum, et Vesparum primas obtinuit. post Amphiarai protagonista fuit Ol. XCI, 2., secundum argum. Avium alterum; denique Ol. XCIII, 3. Ranas vel egit, vel docuit et egit, quode post dicetur.

His igitur explicatis, quae plenius ut exponerentur, poscere rei gravitas videbatur, ad aetatem Philonidis definiendam redire licet. Qui cum Ol. LXXXVIII, 1. haud ignobilis fuerit poeta, uti ostensum est, aetatis annum eo tempore egerit necesse est fere trigesimum vel trigesimum quintum. quanquam non sequor ullo modo in hac re legem illam, scholiastae ad Nubes 526. commemoratam, quae cum Atheniensium institutis plane adversetur, iure reprobatur Schoemanno de comit. Atheniens. p. 106. ann. 10., et Suvernio, Comment. de Aristoph. Nubibus p. 45. ann., non item Meinekio Quaest. Scen. I. p. 36. Itaque annus eius natalis fere primus est Olymp. LXXX. Ultima autem ex Aristophaneis fabulis Ranae est, quam ab eo actam scimus, quo tempore circiter LIV. annos natus fuit. Sed ipsum etiam post Ol. XCVI fabulas docuisse, statim apparebit.

De fabulis Philonideis unum extat Suidae testimonium, T. III. p. 614.: τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Κόθορνοι, Ἀπήνη, Φιλέταιρος. Hic enim ordo fabularum apud Suidam est, neque is, quem Meinekius sine idonea causa, ut arbitror, secutus est. Quibus verbis non plenam contineri dramatum enumerationem, tum loquendi genus docet, tum similibus eiusdem Suidae de aliis poetis, velut de Strattide, Teleclide, Lysippo, Aristonymo annotationibus satis comprobari potest. Quocirca plane nihil dixisse censendus Dindorfius est, cum Pacis didascaliae interpretationem suam, eo, quod Philonidis exstitisse Proagonem ignoraretur, licet dubitanter locutus, comprobare vellet, l. c. p. 67. 68.

Ac primum quidem, quod ad fabulam Κόθορνοι inscriptam attinet, diu est, ex quo Theramenem, τὸν Κόθορνον, de quo cognomine cfr. Xenoph. Hellen. II, 3, 31., ea derisum esse Tiberius Hemsterhusius coniecit, annot. ad Polluc. X., §. 115.; cui cum merito assensus esset Meinekius Quaest. Scen. II. p. 39., haud leve protulit coniecturae firmamentum ex Bekkeri Anecdd., ubi p. 100. init. extat: Θηραμένης τὴν κλητικήν. Φιλιππίδης Κοθόρνοις; Philippidis enim loco restituendum esse Philonidem. Sed quoniam index fabulae Κόθορνοι est, non Κόθορνος, praeter Theramenem esse alium quendam, vel alios quosdam similes homunciones perstrictos credibile est. Cuius generis etsi procul dubio permulti fuerunt ea aetate Athenis vel inter nobilissimos, tamen longe maiorem fuisse vim cavillationis positam in comparatione cum humilioribus quibusdam hominibus facile intelligitur. Itaque quasi sua sponte famosi illi sese offerunt Κόλακες, inde ab Epicharmo usque ad postrema comoediae graecae tempora usquequaque elusi, quibus veriores cothurni cogitari nequeunt. Cum his igitur contentus, visus est Theramenes civitatis Atheniensium parasitus esse, βωμολόχος quidam δημοπίθηκος, ut apud Aristoph. est Ranis 1096. Dind. Quod argumentum neque comico optimo quoque indignum est, et fabulam effecerit, iocis et festivitate plenissimam, necesse est. Licet autem nostram confirmare sententiam cum comparatione Pisandri Platonicae, qua fabula Pisandrum praetorem cum alio quodam Pisandro, obscuro homine, qui ὁ ὀνοκλείδιος nominatur ab Eupolide, poeta composuit, teste schol. ad Aristoph. Aves 1555., tum fragmentis quibusdam Cothurnon, ad parasiti naturam accommodatissimis. Sed tempus fabulae eatenus definire licet, ut non ante Ol. XCII, 2. data sit, nec post Ol. XCIV, 1. Nam Cothurni eum cognomen propterea accepisse, et veri est simillimum, et a Critia ap. Xenoph. l. c. testatum, quod in populari imperio tollendo, et rursus in-

ducendo eius versata opera est; nec vero post Ol. XCIV, 1., quo anno interfectus est, perstrictum Theramenem censemus, non quo a mortuis comicos abstinuisse omnino existimemus, quam Aug. Meinekii sententiam esse, colligitur ex Quaest. Scen. II. p. 21. l. 3. sqq., licet contrarium antea demonstratum fuerit a Suvernio, Comment. de Aristoph. Nubb. p. 46. ann., sed quod post publicum illud oblivionis decretum ne comicis quidem licuisse arbitror, veterem eamque parum iucundam renovare memoriam. Reliquum est, ut Cothurnon fragmenta perpauca, quae quidem reperire potuimus, subiiciamus.

I.

Athen. VI. p. 228. F.: Φιλωνίδης δ' ἐν Κοθόρνοις

Ὑποδέχεσθαι καὶ βατίσι καὶ τηγάνοις·

Hoc modo excipi parasitos consentaneum est, qui ab Eupolide *οἱ περὶ τάγηνον καὶ μετ' ἄριστον φίλοι* dicuntur, vid. Dindorfium ad Aristophan. fragm. p. 177. In Schweighaeuseriano autem exemplari legitur *καὶ ὑποδ.*, quod unde profectum sit, non constat; quocirca auctoritate caret, quod Frid. Jacobsius Additam. Animadvv. ad Athen. p. 139., *καί* illo nixus, *κἄθ'* coniecit. quanquam potuit vel hoc vel simile quid intercidere. Ceterum *βατίσι καὶ τηγάνοις* recte, opinor, Casaubonus explicat: *βατίσι τηγανισταῖς.*

II.

Idem Athen. l. c. pergit: *καὶ πάλιν: ὀσφρομένην τῶν τηγάνων.* Nomen, ad quod participium pertinet, videtur *ξῖνα*, esse.

III.

Idem VI. p. 247. E. Φιλωνίδης τ' ἐν Κοθόρνοις οὕτως·

Ἐγὼ δ' ἀπόσιτος ὢν τοιαῦτ' οὐκ ἀνέχομαι.

quo pertinet apud eundem l. II. p. 47. E.: *ἀπόσιτον δ' εἶρηκε Φιλωνίδης*, et Grammat. ap. Bekk. Anecdd. I. p. 83, 17.: *ἀπόσιτος. ἄσιτος. Φιλωνίδης Κοθόρνοις.* Parisitum haec loqui apertum est.

IV.

Pollux IX. §. 29. καὶ πεντεκοστολογεῖν ἐν Φιλωνίδου Κοθόρνοις, ἔστιν εἰρημένον· παναγεῖς γενεάν, πορνοτελῶναι, Μεγαρεῖς, δεινοί, πατραλοῖαι. Praeclare vidit Hemsterhusius, sic distinguendum: καὶ πεντεκοστολογεῖν. ἐν Φιλωνίδου Κοθόρνοις ἔστιν εἰρημένον Παναγεῖς γενεάν, πορνοτελῶναι, Μεγαρεῖς, δεινοί, πατραλοῖαι. sequutus ipsius Pollucis auctoritatem, apud quem libr. VII. §. 202. idem vulgatam scripturam: Ἑρμιππος δ' ἐν τοῖς Κοθόρνοις, πορνοτελῶναι ex praestantissimo cod. Falckenb. sic correxit: Φιλωνίδης ἐν τ. Κ.: πορνοτελῶναι. Versus, mea sententia, gravissimus, cuiusque similes multi apud Aristophanem extant, fortasse ex parabasi petitus est. Sed verba παναγεῖς γενεάν ita vexarunt vel Hemsterhusium, ut cum Jungermanno scribi mallet: παναγεῖς γενεαί. Sed παναγεῖς γενεάν sunt ei, qui ipso ortu scelesti sunt, quique scelus a maioribus quasi hereditate acceperunt. neque enim dubitari potest, quin ei declarentur, quorum patres Cylonio sese scelere inquinarunt, de quibus Thucyd. I. c. 126.: καὶ ἀπὸ τούτου ἐναγεῖς καὶ ἀλιτήριοι τῆς θεοῦ ἐκεῖνοί τε ἐκαλοῦντο, καὶ τὸ γένος τὸ ἀπ' αὐτῶν, quosque Aristoph. tangit Equitt. 448. 449. Dind.:

ἐκ τῶν ἀλιτηρίων σέ φημι γεγονέναι τῶν τῆς θεοῦ.

Παναγεῖς autem „*detestandos, exsecrabiles*“ recte post Hemsterhusium interpretatur Meinekius Quaest. Scen. II. p. 39. Etenim vocabulum ἅγος cum primum veneretionem declaret, quam quis habet, tum translatum ad rem est, quam veneramur, significandam. cuius significationis iterum duplex vis est, ut aut, quod suspicimus, indicetur, aut, quod detestamur. Tertiam quandam significationis speciem Hesychius conservavit ex Sophoclis Phaedra, T. I. c. 63.: Ἄγος. ἅγνισμα. θυσία. sic enim cum Maasvicio scribendum est pro ἅγνισμα θυσίας. declaratur igitur ratio, qua quis efficit, ut suspiciatur. perperam enim hac glossa Ruhnkenius usus est, ann. ad

Timaeum p. 13., qui minus accurate de vocab. ἄγος exposuit, pariter atque Hermannus ad Sophocl. Antigon. 771. Sed vim illam vocabuli duplicem multi illustrarunt grammatici, velut Suidas s. v. παναγές. ἄγος γὰρ καὶ ἁγνεία καὶ μύσος κατ' ἀντίφρασιν, coll. s. v. ἐναγές, quicum plane consentit Photius lex. p. 375, 17. et Lex. Seguer. ap. Bekk. Anecdd. I. p. 330, 26.: ἄγος, κατ' ἀντίφρασιν τὸ μύσος. et post: λέγεται δὲ ἄγος καὶ τὸ τίμιον καὶ ἄξιον σεβάσματος. coll. Hesych. T. I. c. 63.: ἄγος. τιμιώτατον, ubi scr. τὸ τιμιώτατον. Quocirca ratio non prohibet, quo minus in adiectivis inde ductis, tum simplicibus, tum compositis, eadem sit significationum varietas. Itaque ἀγής scelestum denotat in Hipponactis versu ap. Tzetz. ad Lycophr. 436: ὡς οἱ μὲν ἀγεῖ Βουπάλῳ κατηρῶντο. contra sacrum apud Empodoclem, citatum in Lexic. Seguer. I. p. 337., 15.: ἄθρει μὲν γὰρ ἄνακτος ἐναντίον ἀγέα κύκλου, in cuius versus explicatione Naekium sequimur Choeril. p. 180. Tum de ἅγιος idem testatur Lex. Seguer. l. c. l. 16.: ἅγιος. ὁ σεβάσμιος. λέγοιτο δ' ἂν καὶ ἅγιος ὁ μιαρός. ἀπὸ τοῦ ἄγους, ὡς Κρατῖνος. quod comica scilicet licentia a Cratino dictum opinatur Runkelius ad Cratin. fragm. p. 91. Porro etsi ἐναγής fere τὸν ἐν μύσει ὄντα significat, ut in hanc partem paene constanter a grammaticis explicetur, velut in Lex. Seguer. p. 330. l. 26.: ἐναγής. ὁ ἐνεχόμενος τῷ μύσει, ap. Hesych. T. I. c. 1209. 1210., itemque Suidam s. v. ἐναγεῖς, idem tamen Suidas s. v. ἐναγές habet: ἐναγές· τὸ σεβάσμιον καὶ ἅγιον. κατ' εὐφημισμὸν δὲ καὶ τὰ μιάσματα ἅγη λέγεται, καὶ οἱ μιαροὶ ἐναγεῖς καλοῦνται. itemque s. v. ἐναγής.: σεβάσμιος ἢ καὶ βέβηλος. nam exemplum etsi non attulit, tamen, quia contrariam significationem utrobique adiunxit, consilio usurpasse priorem explicationem censendus est. Contra cum παναγής fere in bonam partem accipiatur, velut in Lex. Seguer. l. c.: ὁ δὲ παναγὴς τὸν ἁγνὸν καὶ καθαρὸν σημαίνει, ubi post tamen inepta de

origine vocis afferuntur, ap. Photium lex. p. 379. l. 17. 19., Hesych. T. II. c. 849., Suid. s. v. παναγὲς, tamen ne altera quidem vis ab hoc adiectivo debet aliena videri, licet eam ignorent lexica vulgaria. reperies autem exempla quaedam annotata in Stephani Thesaur. Brit. p. 1329.

Μεγαρεῖς nomen, quod in Μεγαρῆς convertendum est, hominibus astutis et callidis adhibetur declarandis, quo pertinet proverbium: Μεγαρέων δάκρυα, pariterque Μεγάρικὰ μηχανά apud Aristoph. Acharn. 704. Dind., probe haec annotante schol.: ἀντὶ τοῦ πονηρὰ, πανοῦργος μηχανή. διεβάλλοντο γὰρ ἐπὶ πονηρίᾳ οἱ Μεγαρεῖς, ἄλλα μὲν λέγοντες, ἄλλα δὲ ποιοῦντες. Quocirca, quod insulsum significari machinationem opinatur, errat Meinekius Quaest. Scen. I. p. 5. ann., quem sequitur Ios. Grysar de Doriens. comoed. p. 14. Porro coniungenda cogitatione sunt verba δεινοὶ πατραλοῖαι cum Kuhnio et Meinekio, frustra renitente Hemsterhusio.

V.

Idem Pollux X. §. 115.: λύχνοι δὲ ἐπὶ τούτοις καὶ λύχνοι δίμυξοι, Φιλωνίδου δὲ (dele particulam) ἐν τοῖς Κοθόρνοις εἰπόντος

ὥςπερ οἱ δίμυξοι τῶν λύχνων.

Adde Athen. XV. p. 700. F.: μνημονεύει τοῦ διμύξου λύχνου καὶ Μεταγένης ἐν Φιλοθύτῃ καὶ Φιλωνίδης ἐν Κοθόρνοις.

VI.

Antiatticista ap. Bekk. Anecd. I. p. 100 init.: Θηραμένης. τὴν κλητικήν. Φιλωνίδης Κοθόρνοις. Idem grammaticus, ni fallor, in Symposii Platonici initio, ad verba: ὁ Φαληρεὺς — οὗτος Ἀπολλόδωρος annotasset: Ἀπολλόδωρος. τὴν κλητικήν.

Proxima apud Suidam fabula est Ἀπήνη, cuius fragmenta non extant, neque quod ex indice colligam, quod quidem probabile sit, habeo. Fortasse igitur

Ἀπηνής scribendum est, quo declaretur Timo aliquis μισάνθρωπος, eleganter descriptus a Phrynicho comico his:

Ζῶ δὲ Τίμωνος βίον,
ἀπρόσοδον, ὀξύθυμον, ἄγαμον, ἄζυγον,
ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.

Hesychius enim T. I. c, 450. sic: ἀπηνής. σκληρός. ὠμός. χαλεπός. κακός., glossa Brunckii ad Aristoph. Nubb. 968.: ἀπηνές. ἀναίσχυντον. ἀπαίδευτον. Itaque hominem, qui Philetaero, de quo statim, contrarius fuit, fortasse perstrinxit; qualem etiam ab Antiphane traductum scimus, cuius Timonem citat Athen. VII. p. 309. D.

Sequitur Φιλέταιρος, quae qua in re versata sit, ipsum nomen ostendit. Cuius argumenti, quippe ad mediae comoediae naturam accommodati, cum complura extiterint dramata poetarum posteriorum, — novimus enim Amphidis Philetaerum ex Athen. VII, p. 295. F., Antiphanis ex eodem IX. p. 396. D., Alexidis Demetrium vel Philetaerum ex eiusdem libr. VI. p. 241. B., aliis locis, in qua heluones et parasitos constat deriseos esse, velut Phayllum, teste Athen. VIII. p. 338. D. E., et Eucratem τὸν Κόρυδον, ut idem tradit libr. VI. p. 241. B., denique Hegesippi Φιλεταίρους, commemorante Athenaeo VII. p. 279. D. — facile est ad coniiciendum, ipsam Philonidis fabulam mediae demum comoediae aetate, h. e. post Ol. XCVI. compositam esse; cui quidem coniecturae haudquaquam adversatur aetas Philonidis, quem Ol. XCIII, 3. non amplius LIV annos natum fuisse vidimus, neque hoc, quod Nicochares filius, Ol. XCVII, 4. cum Aristophane certavit, secundum didasc. Pluti; hunc enim si suscepit Philonides Ol. LXXXVIII, 1., fere quadragenarius Nicochares fuit, cum Plutus docebatur. Fragmenta Philetaeri supersunt nulla, quamquam ex incertis duo ad eam referri possint, quae statim indicabuntur.

Restat igitur, ut fragmenta ex incertis fabulis,

breviter explicata, addantur; quae non extare omnino, possit quispiam Meinekii l. c. nixus auctoritate, quippe negligenter locuti, contendere.

I.

Athen. I. p. 23. E.: Φιλωνίδης „Κατάκειμαι, ὡς ὁρᾶτε, δεκάπαλαι. Conqueri quis videtur, quod alii nondum accubuerint; se enim iamdiu accubuisse. Itaque cum hoc pacto priori cuidam hic versus adversetur et hiatus tollendus sit, restituo trimetrum hunc:

Καίτοι κατάκειμαί γ', ὡς ὁρᾶτε, δεκάπαλαι.

Verba κατάκειμαι δεκάπαλαι in memoriam revocant Equitt. v. 1158. Dind.: τρίπαλαι κάθημαι, ubi Philonidis dictum Berglerus annotavit. Ceterum uni omnium maxime parasito patet hunc versum convenire, propterea fortasse ad Philetaerum fabulam referendum, pariter ac proximum.

II.

Idem II. p. 67. D.: Φιλωνίδης „Τὰ καταχύσματ' αὐτοῖσιν ὄζος οὐκ ἔχει, quae verba Dindorfius inter duo versus distribuenda vidit hoc modo:

Τὰ (f. γὰρ) καταχύσματα
αὐτοῖσιν ὄζος οὐκ ἔχει.

Errat Photius Lex. p. 145, 2. discrimen faciens inter κατάχυσμα et καταχύσματα: κατάχυσμα. ἐνίοτε τὸ καταχεόμενον κατὰ τῶν ὄψων ὑπότριμμα. καταχύσματα δὲ πληθυντικῶς τὰ παρὰ τὴν ἑστίαν κατασκεδαννύμενα τῶν γαμούντων καὶ τῶν πρωτοθεωρῶν. Rectius Hesych. T. II. c. 191.: καταχύσματα. τραγήματα. — — λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ ζωμοῦ; nam iura, qualia descripta sunt ap. Aristoph. Avibus 536. sqq. Dind., aliter nominari non possunt, nisi καταχύσματα. atque ita dici iura Pollux testatur VI. §. 56.

III.

Photius Biblioth. p. 865. Hoesch. = p. 539. l. 15. Bekk. ex Helladii Chrestomathia haec excerpsit: ὅτι ὁ στίχος, ὁ καὶ παροιμιαζόμενος·

ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω·

ἐστὶ μὲν Σοφοκλέους, τοῦτον δὲ παρῳδήσας ὁ Φιλωνίδης ἔφη·

ὅρκους δὲ μοιχῶν εἰς τέφραν ἐγὼ γράφω·

Argute adulteros composuit et cinerem.

IV.

Pollux II. §. 24.: Φιλωνίδης δὲ καὶ ὦ πώγωνος πολυτρίχου, ἔφη. Versus videtur anapaesticus esse duaeque syllabae post πώγωνος intercidisse.

V.

Idem II. §. 149.: χέρνιβα Ὅμηρος, τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ καὶ κερνίψασθαι Φιλωνίδης καὶ χερνίμματα. Iungermannus, quia χερνίψαντο apud Homerum est, χερνίμματα ad Philonidem referri voluit, quod quomodo fieri possit, non video; immo χερνίψασθαι Philonidis est; quo auctore χερνίμματα niteretur, annotare Pollux neglexit.

VI.

Idem III. §. 101.: Φιλωνίδης δὲ τὸν ἐπιχαίροντα ἐπίχαρτον εἴρηκεν. ἀλλὰ καὶ τοῦτο φαῦλον. ὥστε βέλτιον μὴ ὀνόμασι χρῆσθαι, ἀλλὰ μετοχαῖς. Iniuria vituperat Philonidem grammaticus. Complura enim extant exempla, quibus adiectivorum verbalium in τος terminatorum activa comprobatur vis, quode v. Porsonum et Schaeferum ad Eurip. Hecub. 1117.

VII.

Idem VI. §. 168.: Φιλωνίδης φιλομόχθηρον, sc. ἔφη.

VIII.

Photius lex. p. 339, 21.: Ὀξίνην, τὸν οἶνον, οὐκ ὀξίναν. καὶ Ἕρμιππος καὶ Φιλωνίδης καὶ οἱ ἄλλοι ὀξίναν enim foret ab ὀξίνα, quod est secund. Hesych. T. II. c. 765. ἐργαλεῖόν τι γεωργικὸν, σιδηροῦς γόμφους ἔχον, ἑλκόμενον ὑπὸ βοῶν.

Iam versus accedat, Polluci commemoratus, quem tamen ex Philonidis fragmentis eximendum censemus. Pollux igitur l. III. §. 18. sic commentatur: οὐ προσίεμαι τὸ παππεπίπαπτος, εἰ καί τινες τοῦτο τὸν

τοῦ πάππου πάππον ὠνόμασται· ἀλλ' ἔστι τοὔνομα δεινῶς ἰδιωτικὸν, καίτοι Φιλωνίδης ὁ Κωμικὸς αὐτῷ κέχρηται οὕτω·

Νοῦ δὲ Κρόνου καὶ Τιθωνοῦ παππεπίπαππος νενόμισται.

Ex MS. Falckenburg. pro Φιλωνίδης annotatum est Νικοφρῶν h. e. Νικοφῶν; quod ut verum existimem, praestantia facit codicis. Sed quod Pollux nomen παππεπίπαππος reprehendit, tanquam imperite formatum, imperite iudicare censendus est. Nititur enim haec compositio vulgatissimo loquendi genere, quo, quae iuxta se posita sunt, ἐπί praepositione declarant, velut in hoc: φόνος ἐπὶ φόνῳ, et quae id genus alia sunt. Itaque cum et linguae rationi conveniret, et vero ad usum esset percommodum, substantiva, hoc pacto ἐπί praepositione coniuncta, unius vocis ambitu comprehendi, mirum profecto foret, ni Graeci id genus vocabula formassent. Extat autem luculentum exemplum vocabuli ἀλλεπάλληλος, quod tantundem valere atque ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ grammatici testantur, velut Hesych. T. I. p. 239.: ἀλλεπάλληλα. συνεχῆ, Zonaras T. I. p. 126. ἀλλεπάλληλοι. συνεχεῖς, et p. 132.: ἀλλεπάλληλον. πυκνόν. συνεχές, cuiusque originem saepe ita scribae significarunt, ut singulas voces seiungerent scribendo, quod Bastius in Addend. ad Gregor. Cor. p. 888. observavit. Recte igitur versum Nicophontis sine ulla vitii suspicione citarunt Pierson. ad Moer. p. 200.; et Iacobsius Animadvv. ad Anthol. Graec. T. X. p. 31., qui pariter ac Bastius significati sunt Schaeferi diligentia in Stephani Thesaur. Brit.

Praeterea sex versus in Stobaei Florilegio extant, qui Philonidi tribuuntur. At neminem tamen arbitror veteris comoediae poetam, qui mediam attigit, tantum de vetere et dicendi et sentiendi consuetudine remisisse, ut ad posteriorum poetarum comicorum sermonis accederet tenuitatem et locorum communium usum creberrimum. Quocirca versus a Stobaeo citatos ab Philonide

plane abhorrere, et vel ad Philemonem vel Philippidem, cum quo supra vidimus confusum Philonidis nomen, vel alium quendam comicum, a syllaba Φιλ incipientem, de quorum nominum permutatione Meinekius dixit Praef. ad Menandr. et Philem. p. IX. sqq., referendos censemus. qui quales essent, ut sine molestia perspiceretur a lectoribus, ascripsimus, quemadmodum in Gaisfordii editione satis emendate leguntur:

Tit. IX, 14. Φιλωνίδου.

Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς θειλὸς ὁ δεδοικὼς νόμον
πρὸς τοὺς πολεμίους δ' ἐστὶν ἀνδρίας κρίσις
ὑπὸ τοῦ δικαίου δ' ἐστὶν ἡττᾶσθαι καλόν.

Tit. XXXIII, 7. Φιλωνίδου.

Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστὶν ἢ λαλεῖν μάτην.

Tit. XXXV, 6. Φιλωνίδου.

Ἅπαντ' ἐρίζεις, καὶ συνιεὶς οὐδὲ ἕν.
γράμματα μαθεῖν δεῖ, καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν.

Sed indicem fabulae Philonideae, aliunde non cognitum, repperisse sibi visus est Augustus Meinekius, didascalia nixus ad Aristoph. Vespas, in qua secund. cod. Ravenn. haec leguntur: καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγων. Abs quo cum Boeckhii iudicium discreparet, ex eisdem illis verbis poetae loco histrionem esse nominatum colligentis Corpor. Inscriptt. p. 351., huicque assentiretur Guil. Dindorfius Dissert. I. de Arist. fragm. p. 68., utrique nuperrime Godofr. Hermannus adversatus est in censura libelli Dindorfiani, inserta Diar. litt. Lips. A. 1829. Pl. 204., qui nec Philonidi vellet Proagonem tribui, et Boeckhianam illam opinionem funditus convellere conaretur. Didascaliarum enim non eum fuisse finem, ut fabulae tantum consignarentur, sed ut poetarum notarentur victoriae; quodsi illud fuisset, poetarum licuisse nomina praetermittere. Qua re etsi Boeckhium satis arbitratur refutatum esse, tamen, ut vel tenuissima eius opinioni spe-

cies veritatis deiiciatur, deinceps singulas quasque didascalias, quibus Boeckhius nixus est, disputando persequitur, ultimoque loco, emendatione quadam argumento Vesparum adhibita, efficit, ut ne extet Philonidis Πρεσβυγών. Summorum igitur virorum cum tantam videremus dissensionem esse in re, et per se dignissima ad sciendum, et ad exequendum nostrum propositum maxime necessaria, diligentius ipsi rem aggressi sumus pervestigare; quo facto, cum neuter nec de summa rei recte existimasse, et in singulis partibus saepius iudicio lapsus videretur, paullo explicatius rem pertractandam iudicavimus.

Itaque, quoniam Athenienses religiosissimi habiti sunt mortalium, deorumque festa omnium magnificentissime appararunt, eosdem publico quodam documento, qua quodque festum ratione celebratum fuisset, credibile est testatos esse. Poetarum igitur aliorumque certamina non eo consignabantur fine, ut honos victoribus haberetur, sed ut de festi celebratione constaret; quanquam et victorum nomina et certaminis genus, et in musicis certaminibus, fabularum indices accurate notatos esse, quippe in monumentis publicis, per se intelligitur. Harum igitur tabularum publicarum quadruplex ratio esse potuit; aut enim anni unius festi cuiusque memoria una quadam tabula conservabatur; aut unius anni festa omnia una tabula comprehendebantur; quod tamen propter festorum et certaminum multitudinem parum probabile videtur; aut in una unius cuiusdam festi commemoratio per complures annos continuabatur, quantum quidem lapidis spatium pateretur; aut denique una tabula omnibus festis complurium annorum destinata erat; quod factum esse, nemo opinabitur. Cum igitur optio detur inter primum et tertium, ut quod tertio loco positum est, Athenienses secutos existimem, inscriptio facit ap. Boeckhium ducentesima prima et trigesima, p. 353., in qua post unius anni comicos me-

moratos additur ἐπὶ Διοτίμου, rursusque comici subiiciuntur; altera autem columna, e regione posita, tragicos consignatos fuisse, acute Boeckhius docuit; ex quo consequitur, certamina diversa diversis fuisse columnis perscripta. Ex eadem autem inscriptione, quomodo poetarum comicorum certamina annotata sint, perspicitur; primum poetae est nomen; sequitur numerus, quo quotus ordine poetarum certantium quis fuerit, declaratur; tum index fabulae; denique primarum actor. Praeterea eo animus advertendus est, quod l. 8. et 10. utrobique Diodori, qui duas fabulas docuit, nomen perscriptum est; an duo hos censes Diodoros fuisse? Ex eo igitur, quod Diodorus utrobique annotatus est, nec scriptum: Διόδωρος β' Νεκρῷ καὶ γ' Μαινομένῳ· ὑπεκρίναντο Ἀριστόμαχος καὶ Κηφίσιος, summam his consignationibus accurationem esse adhibitam intelligitur. Eodem pertinet, quod l. 3. et 4. secundum Boeckhii emendationem, satis, ut arbitror, probabilem legitur: Ἀντιφάνης πεμ. Ἀνασῳζομένοις· ὑπεκρίνατο Ἀντιφάνης, nec dictum est: ὑπεκρίνατο ὁ αὐτός. Eiusmodi igitur diligentiam etiam magis in priora illa tempora rei publicae florentissima cadere, in aperto est; pertinet enim illa inscriptio ad Ol. CVI. Quocirca in vetustissimis illis monumentis unquam protagonistam fuisse poetae loco consignatum, praedicare equidem nego; nec rationem agnosco ullam, qua pro eius, qui fabulam composuit, nomine alius quidam substitutus sit, nisi si poeta tradiderit alii fabulam suam docendam; uti factum scimus ab Aristophane, qui Daetalenses Philonidi, Babylonios Callistrato, Cocalum et Aeolosiconem Araroti filio docendas commisit; itaque de his patet ita scriptam fuisse in antiquissimis monumentis: Φιλωνίδης πρω. (vel alius numerus.) Δαιταλεῦσιν. ὑπεκρίνατο Καλλιστράτος. pariterque in reliquis.

Sed ex his antiquissimis monumentis, ipso fabularum actarum tempore confectis, Aristoteles suos di-

dascaliarum libros hauserit, necesse est. Etenim si ex paucis indiciis, quae ad nostram pervenerunt memoriam, coniecturam facere licet, satis plena eis videtur contenta fuisse certaminum tragicorum, comicorum et lyricorum enumeratio; quam unde petierit, praeterquam ex illis publicis monumentis, non video. Nam poetis licuisse suae victoriae monumentum quoddam publico collocare loco, nusquam, quod sciam, commemoratum est, neque inscriptione quadam testatum; atque si hoc licuisset, non licuit tamen, opinor, reliquos poetas, qui una certarunt, ascribere. Nec vero ex Choregorum tripodibus multum in hac re profici potuit; nam si consecrarunt tripodes, quanquam ne credibile quidem est, ab omnibus consecratos tripodes esse, consignarunt poetae nomen, cui chorum instruxerant, reliquos praetermiserunt; id quod satis certo ex inscr. 222. aliisque colligitur. Itaque Aristotelem sic in libris didascaliarum condendis versatum existimo, ut ex tabulis publicis, quae ad tragicorum, comicorum et lyricorum certamina pertinerent, omnia accuratissime describeret secundum archontum ordinem; quae quidem opera haudquaquam ab Aristotele, summo philosopho, sed eodem, praeter recentiorum consuetudinem philosophorum, diligentissimo rerum perscrutatore, aliena putanda est; quocirca ne in his quidem libris usquam potuit primarum actor pro poeta commemoratus reperiri, nisi una illa ratione, qua in monumentis publicis. Sed postquam grammatici tragicos veteres et comicos commentariis illustrare coeperunt, praeter verborum explicationem notationem eos temporis, quo quaeque fabula acta esset, addidisse constat; quam cum ex Aristotele vel alio didascaliarum scriptore peterent, quae necessaria sibi viderentur, transcripserunt, verbis tamen usi suis, id quod diligentissime tenendum est. Itaque, ut exemplo utar, quod scriptum extitit apud Aristotelem fere in hunc modum:

ἐπ' Ἀλκαίου. ἐν Λησταῖς·

* * * * *

ἐν ἄστει. Εὔπαλις πρω. Κάλαξι ὑπε. * *
Ἀριστοφάνης δευ. Εἰρήνῃ. ὑπε.
Ἀπολλόδωρος.
Λεύκων τρι. Φρέαρσι ὑπε. * *

* * *

* * *

— quanquam ordo poetarum alius esse potuit — grammaticus, qui Aristophanem illustravit, ita excerpsit et conformavit, ut hodie legimus in didascalia Pacis: ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπαλις Κάλαξι. δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ. τρίτος Λεύκων Φρέαρσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος.

Iam ad didascaliam Avium, ex qua maximam partem omnis illa lis iudicanda est, accedere licet. Grammaticus igitur, Aristotele vel alio usus didascaliam confecit ad Aristophanis *Aves* hanc: ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φερένικος Μανοτρόπῳ. Patet autem neminem, qui Aristophanis Avibus ascriptam legerit hanc didascaliam, de auctore fabulae dubitare potuisse. Itaque grammatico ita licuit scribere, ut scripsit, atque ab Callistrato alterum esse praemium reportatum dicere, quin aut ipse erraret vel inepte loqueretur, aut alium quendam in errorem induceret. Argutari igitur videtur super hac didascalia Hermannus. Didascaliam enim non ita servatam esse, qualis antiquitus composita fuerit, vel ex inepto additamento: τοῖς Ὄρνισι perspici, nec dubium posse esse, quin aut enuntiatum ante ὃς intercident, ita ut ὃς Aristophani referretur, aut pro ὃς scriptum extiterit αὐτός, cuius primae litterae evanuissent. At si verba τοῖς Ὄρνισι, ut inepta, delari velis, item argumento Pacis oportet verborum: Ἀριστοφάνης δεύτερος Εἰρήνῃ ultimum tol-

las; satis enim superque erat dixisse: Ἀριστοφάνης δεύτερος. At nimirum utrobique grammaticus plene descripsit poetarum nomina et fabularum, uti apud Aristotelem vel alium didascaliarum scriptorem consignata reperiebat. Verum si verba: τοῖς Ὄρνισι corrupta essent, quid tandem est, cur priora verba, per se planissima et incorruptissima, in dubitationem vocentur, cum illam corruptelam tollere liceat istis verbis deletis, nec tamen, prioribus emendatis, ista conserventur verba? Sed additur, quod etiam magis mirum est; nempe enuntiatum in hac didascalia intercidisse; quod hoc modo commemorasse satis habeo.

Haec vero, nostro iudicio, sola est ex didascaliis Aristophaneis, ex qua primarum actorem a grammaticis poetae loco habitum esse consequitur. Nam quod ad Ranarum didascaliam attinet, ne cogitari quidem potest de Philonide pro Aristophane commemorato in Ravennatis scriptura. Sed tamen non temere spernenda didascalia est, qualem sine dubio ex cod. vel codd. Pariss. Bruncknius protulit: ἐδιδάχθη δὲ ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος — ἐπὶ Λησιμάχου. Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα. Φρύνιχος δευτ. Μούσαις κ. τ. λ. Nam cum verbum ἐπιγράφεσθαι significatu proprio suo, quo nomen alicuius pro alio inscriptum libro cuidam declaratur, satis cognitum sit grammaticis, velut schol. ad Plut. 179., ad Ranas 78., notitia quadam statuendum est, sive recte, sive perperam intellecta, quod nunc in medio relinquendum est, didascaliae scriptorem eo adductum esse, ut Ranas ab Philonide doctam arbitraretur; itaque is rectissime addidit: καὶ ἐνίκα sc. Φιλωνίδης. Neque enim licet cum Hermanno post ἐπεγράφη interpungere, et καὶ ἐνίκα de Aristophane dictum existimari, quoniam Φιλωνίδης ἐπεγράφη nunquam declarare potest, Philonidem annotatum esse ut primarum actorem; hancque eandem ob causam, quod Boeckhius voluit, ex hac didascalia consectarium esse nequit. Tum Acharnensium di-

dascaliam: ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου. καὶ πρῶτος ἦν. δεύτερος et q. s. citius quam verius a Boeckhio in suam rem conversam arbitror; nihil enim quicquam causae cogitari potest, cur verba: καὶ πρῶτος ἦν ad Aristophanem referri nequeant; itaque ea sequenda explicatio est, quae et naturae rei, et dicendi consuetudini convenit cum maxime. Nimius autem Hermannus fuit, cum verba: καὶ πρῶτος ἦν Callistrato posse referri negaret. Nec vero Boeckhii sententia comprobatur inscr. 229. l. 7. Nam etsi non veterem esse hanc inscriptionem, sed posteriore aetate ex didascaliarum libris eo fine concinnatam, ut imagini eius poetae, ad quem pertinet, pertinet enim ad unum tantummodo, apponeretur, verissima est et acutissima Boeckhii coniectura, ac proinde post unam illum poetam initio inscriptionis, quod deest, significatum, non potuit post illus commemorari poeta, licet Hermannus hoc fieri oportere confirmet, primum tamen eo confugiendum est, ut protagonistae nomen, qui pro poeta fabulam docuerat, censeatur ascriptum esse.

Restat Vesparum didascalia, qua, ut hanc disputandi viam institueremus, commoti sumus. Cuius quidem emendationem, a Guil. Dindorfio, Dissert. I. de Aristoph. fragm. p. 67. ex Ravennat. scriptura, qualis ab Invernizio enotata erat, factam hoc modo: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου, ἐν τῇ πθ' Ὀλυμπιάδι, ὃς δεύτερος ἦν, εἰς Λήναια; patet non oportere reiici iccirco, quia ὅς pronomen ad Philonidem referendum est; plane enim similis foret Avium didascaliae. Sed quoniam a Bekkero nunc consignatum est ex Ravenn. et Veneto: Ὀλυμπιάδι, neque Ὀλυμπιάδος — quanquam hoc sola Bekkeri coniectura, licet probabili propter antecedentia verba: ἐν τῇ niti videtur; nam si in codd. scriptum est Ὀλυμπιάδ, uti statuit Hermannus, quo tandem argumento, Bekkerum recte fecisse, certo intelligitur? — iure videtur Guil.

Dindorfius illam emendationem nunc praetermisisse in fragmentorum editione, et in Ravennatis acquievisse scriptura, Kanngiesseri ascita vocis πόλει laudabili emendatione; et interpunctione constituta sic: — διὰ Φιλωνίδου, ἐν τῇ πρὸ Ὀλυμπιάδι. β' ἦν εἰς Λήναια. itaque ἦν ad Aristophanem pertinet; nam de Kanngiesseri coniectura: ἔτει β', Boeckhio aliquando probata in Comment. de festis Bacchic. p. 72., et, ut videtur, censori illi Kanngiesseriano, Suvernioque, Comment. de Aristoph. Avibus p. 59. ann. 2., vere Dindorfius iudicavit l. c. p. 66. Sed reliqua est altera didascaliae pars gravissima, in exempl. Aldino et Bruńckii cod. Paris. sic scripta: καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγών, in Ravenn. et Veneto ita: καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι. Iam haec verba explicari tripliciter possunt. Aut enim Philonidis fuit Proagon, aut Aristophanis quidem fabula, sed cui temere inscriptus Philonides esset, aut denique Aristophanis drama, inscripto tamen Aristophanis iussu Philonide. Atqui quoniam Vesparum primas agebat Philonides, neque quenquam probabile est alius cuiusdam protagonistam fuisse eodem tempore, quo sua ipsius quaedam fabula in scenam produceretur, prior explicatio reicienda est. Nec vero ita rem componere licet, ut cum Meinekio διὰ Καλλιστράτου pro διὰ Φιλωνίδου scribatur, quoniam haec iusto violentior mutatio est. Restat igitur tertium explicandi genus nostrum, quod cum omnem difficultatem statim expediat, neque aut per se ineptum sit, aut alia re ulla convelli possit, probatum iri confidimus. Neque enim, quod contra primam explicationem valet, item in hanc cadit; nam cum res ex voluntate et consilio Philonidis iudicanda sit, alius eum noluisse simul protagonistam esse, suamque quandam docere fabulam, facile intelligitur; at cur noluerit eiusdem, cuius in una fabula primas sustinuit, alteram suo nomine dare, perspici non potest. Sed Aristophanes quamobrem Philonidi Proagonem commi-

serit docendam, nunc quidem definire non licet; liceret fortasse, si fabula superesset integra; nec vero, cur committere non potuerit, ostendat quispiam. Nam quod Hermannus opinatur Philonidem fortasse eo fine potuisse substitutum esse, ut quasi commendaretur populo, ab Philonide, quem ante Aristophanem fabulas docuisse ostendimus, alienissimum est.

Etsi autem, nostra exposita sententia, finem nunc huic disputationi imponere possumus, tamen, quoniam contra Boeckhium Hermannumque pugnare aggressi sumus, quae hic super hac didascalia disseruit, breviter perstringenda sunt. Atque argumentandi quidem rationem, qua contra Boeckhium usus est, singulatim persequi nolo; commemoro tantum, quod locutione πρῶτος ἐνίκα immerito Hermannus offendi videtur. Etenim, ubi ὁ δεῖνα ἐνίκα dicitur, simpliciter declaratur, inter complures, certantes inter sese, unum victorem esse; si ὁ δεῖνα πρῶτος ἦν, nihil aliud ostenditur, nisi ordinem quendam inter certantes constitutum esse; denique in locutione ὁ δεῖνα πρῶτος ἐνίκα non unum tantum ex compluribus, qui certarunt, victoriam reportasse, sed complures significatur; hunc autem, quisquis fuit, inter victores ipsos primum obtinuisse locum. Quocirca haec quidem ultima accuratissima dicendi species est, si complures notandi victores sunt; minus accurata altera illa: πρῶτος ἦν, δεύτερος, τρίτος ἦν, quandoquidem tantundem valent ac πρῶτος ἐνίκα etc.; priore igitur rectissime usus est auctor didascaliae Equitum, quam Hermannus notare neglexit: Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα — δι' αὐτοῦ τοῦ Ἀριστοφάνους. πρῶτος ἐνίκα. δεύτερος Κρατῖνος Σατύροις et q. s. Reliquum est, ut ipsius Hermanni videamus coniecturam. Nempe delendum esse vocab. Φιλωνίδης, quod scribam, non perspicientem verba: καὶ πρῶτος ἦν, et proinde poetae nomen desideratem, ex prioribus ascitum addidisse. At cum ipse statuat Hermannus scribam verba, quae descripsit, intellexisse, quo tandem modo

eo adduci potuit, ut, quem modo Aristophanis fuisse histrionem legisset, eum rursus poetae loco substitueret? Quemvis enim alium potius credibile est eum arripuisse, quam quem modo histrionem fuisse compererat. Verum vocabulum Φιλωνίδης ne eiiciatur, suadet tum MSS. Ravennatis, Veneti, Paris. et exempl. Aldini consentiens auctoritas, tum didascaliarum Aristophanearum conformatio, quae in enumeratione poetarum et fabularum multa cum fide videntur ex veteribus didascaliarum libris ductae esse; ut, si Aristophanes antiquitus Proagoni inscriptus fuisset, dictum reperiremus, non quod Hermannus voluit, sed *καὶ ἐνίκα πρῶτος Ἀριστοφάνης Προαγῶνι.* —

Perfecto disputandi cursu, quem instituimus, de Philonide comico, ad cognominem virum, item Atheniensem transgredimur, quem a poeta distingui iam antiquitus iussit schol. ad Aristoph. Plutum. Etenim cum Philonides aliquis perstringeretur Pluti versu 179.:

ἐρᾷ δὲ Λαῖς οὐ διά σε (τὸν Πλοῦτον) Φιλωνίδου;

ita perspicue commentatus scholiasta est: *Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι, τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν, ὡς οἱ περὶ Καλλίστρατον ἐν τῇ ὁμωνυμίᾳ πλανηθέντες. ἀλλὰ παιδιᾶς ἕνεκεν τὸν αἴσχιστον καὶ ἀπαίδευτον.* (fo. *ἀπαιδευτότατον*) *κωμῳδεῖται δὲ ὡς εὔπορος καὶ ὡς μέγας τῷ σώματι καὶ ἡλίθιος.* Sequuntur comicorum testimonia. Nam qui in eo offenderint nonnulli, quod poetam nominat Philonidem, a quo alium vult distingui, equidem hercle neque intelligo, neque a quoquam intelligi arbitror posse. Veteribus enim non ignotum fuisse Philonidem poetam, Suidae testimonio, supra usurpato, luculentissime arguitur. nec vero causa reperiri potest ulla, cur, quod Suidae compertum fuit et cognitum, ab scholiasta Aristophanis ignoratum fuisse censeamus. Quod si tenuit, eratque a Philonide poeta

alius discernendus, qui non fuit poeta, poetam eum nominando, qui poeta fuit, plenissime consilio suo satisfecisse putandus est. Itaque et prorsus supervacaneum est, quod Meinekius Quaest. Scen. II. p. 40. addi voluit τῶν κωμῳδιῶν, et vero vanissima Dobrei coniectura, τὸν ὑποκριτήν corrigentis annot. ad Plutum 175. Deinde Kusterum, qui de fabulis, alius cuiusdam ac poetae nomine exhibitis, complura, etsi satis confusa, his scholiastae verbis ascripsit, operam perdidisse, cum pro: τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις scribi vellet: τὸν τισιν Ἀριστ., iam ab Hemsterhusio animadversum est.

Sed Laidis amatorem Athenis oriundum, et quidem Melitensem fuisse, comicorum dicta, quae scholiastae commemorata sunt, satis testantur; itaque erravit alius schol. ad h. l., qui Φιλωνίδης, inquit, πλούσιος ἐν Κορίνθῳ, in errorem inductus Laide Corinthiaca. cum hac enim Philonidem aliquando rem habuisse, ex Pluti verss. 302. 303. consequitur. Verum, quod ad aetatem Philonidis attinet, ex eiusdem Laidis Corinthiacae commemoratione versus illos ad Plutum alteram pertinere perspicitur, nec potuisse ullo modo id, cuius ibi Aristophanes mentionem iniicit, factum esse tempore Pluti prioris Ol. XCII, 4.; quode cfr. Francisc. Ritterum, Dissert. de Aristoph. Pluto p. 20. sqq.; abs quo cum Pluti editionem nunc esse alteram superstitem, satis, ut arbitror, demonstratum sit, mirum accidit, quod Bekkerus Plutum post Lysistratam collocavit; an Ravennatem secutus est? Praeterea eo animus advertendus est, quod poetae apud schol., a quibus Philonides propter stultitiam aliaque vitia carpitur, omnes iam aliqua ex parte mediam comoediam attigerunt, — v. de Philyllio Meinek. Quaest. Scen. II. p. 60., de Platone II. p. 12., de Theopompo II. p. 69. — atque adeo indiciis quibusdam fabularum, in quibus perstrictus Philonides est, ad mediae ferimur cogitationem, velut Nicocharis Galatea, Theopompi Aphrodisiis, et ni fallor, Platonis Laio. Qua ex re hoc con-

sectarium videtur, Philonidem Ol. XCVI. vel XCVII. eam aetatem famamve habuisse, ut a comicis traduceretur. Atque haec quidem sententia, aliquantum, opinor, eo stabilitur, quod ab Aristophonte, mediae comoediae poeta, qui prioribus illis aetate inferior fuit, fabula composita est Φιλωνίδης inscripta, cuius quod extat fragmentum apud Athen. XI. p. 472. C. quam maxime ad Melitensis mores accommodatum est. Quanquam, qui Fabricium sequatur, Bibl. Graec. T. II. p. 424. Harl., et Schoellium, Histor. litt. Graec. I. p. 296., Aristophontem tradentes circa Alexandri magni tempora floruisse, diversos facile credat Aristophontis Philonidem et Aristophanem. Nam ut Ol. XCVII, 4. Philonides tricesimum egerit aetatis annum, Alexandri tempore, h. e. circiter Ol. CXII. necesse est plus nonaginta annos natus fuerit; qua aetate hominem eo modo, quo in Aristophontis fit fragmento, derisum esse, vix ac ne vix quidem credibile videatur. At vero nihil reperitur quicquam in Aristophontis fragmentis, cur ad Alexandri aetatem referendus sit; quocirca, cum eiusdem nominis commemorationes ad unum, quantum fieri possit, accommodari debeant, aliquanto prius, circa Ol. CVII. censendus est floruisse. Accedit haud spernendum sententiae nostrae firmamentum hoc, quod ab Aristophonte Tithymallus, parasitus quidam, notatur ap. Athen. VI. p. 238. C., quem item alii quidam comici cavillati sunt apud eund. VI. p. 240. C. sqq., velut Alexis, Dromo, Timocles, Antiphanes, qui ad mediam omnes comoediam pertinent. Itaque rectissime Meinekius Aristophontem mediae poetam comoediae nuncupavit, Quaest. Scen. II. p. 39. 69., licet eundem in enumeratione poetarum eius aetatis praetermiserit p. 5. Accedit denique, quod apud Demosthenem, orat. I. in Aphob. p. 831. in. R. Philonidis Melitensis filia commemoratur, quae Aphobo, Demosthenis tutori, nupserit. Oratio illa, quam Demosthenes habuit XVIII annos natus, incidit in

Ol. CIII, 2.; Demosthenem enim natum esse Ol. XCVIII, 4. Corsinus demonstravit Fast. Att. II. p. 139., cui merito assentitur Boeckhius Oecon. civil. Atheniens. II. p. 109., immeritoque repugnat Clintonus Fast. Hell. Append. num. XX., sed quod Aphobus Philonidis filiam in matrimonium duxit, prius factum est, nec fortasse diu post Demosthenis patris mortem, quae, cum septimum annum egerit tum temporis Demosthenes filius, ut ipse testatur l. c. p. 814. in., in Ol. C, 3. incidat necesse est. Itaque, si Ol. CI. ineunte Philonidis filia nupsit Aphobo, septimum et decimum annum agens, et proinde nata Ol. XCVI, 4., potuit patre uti Philonide, nato Ol. XC. ineunte. Quamobrem, ut ad Philonidis aetatem describendam revertamur, quaecunque tradita reperimus de Philonide Atheniensi, qui non fuit poeta, optime unius vita hominis comprehenduntur, si natum fuisse eum statuas Ol. XC. in. vitamque produxisse paullo supra Ol. CVII.

Verum natura Philonidis et mores satis descripti sunt a comicis, saepius commemoratis. Corpore enim fuit ingenti et vero admodum deformi, quo spectat Pluti v. supra descriptus, tum quod Philyllius de matre dicit:

ἥτις κάμηλος ἔτεκε τὸν Φιλωνίδην.

denique Platonis versus ex Laio, a Bentleio et Hemsterhusio emendati:

οὐχ ὁρᾷς ὅτι
Φιλωνίδην που (?) τέτοκεν ἡ μήτηρ ὄνον
τὸν Μελιτέα, κοὐκ ἔπαθεν οὐδέν; —

quibus tamen eisdem eo, quod cum asino comparatur, et stultitia eius significari et voluptatis intemperantia videtur, pariter atque ab Theopompo Aphrodisiis:

ὄνος μὲν ὀγκᾶθ' ὁ Μελιτεὺς Φιλωνίδης.
ὄνῳ μιγείσης μητρὸς, ἔβλαστε τῇ πόλει.

Deinde ab omni eum liberali institutione abhorruisse quam maxime, Nicochares testatur Galatea:

τί δῆτ'; ἀπαιδευτότερος εἰ Φιλωνίδου
τοῦ Μελιτέως.

τί δῆτ', quod in schol. ad v. 803. Ravennas habet; suscipiendum est pro vulgato: ἠδί τ', quod non debebant cum Bentleio in ἢ δῆτ' convertere Hemsterhusius et Meinekius Quaest. Scen. II. p. 59. Denique ditissimum Philonidem fuisse, catervaque parasitorum circumdatum Pluti vers. 803. et annott. scholl. ostendunt.

Adiungenda autem quaestio est de Lysiae oratione κατὰ Φιλωνίδου βιαίων, ab Athenaeo et Harpocratione commemorata; qua in re primum, uter videatur accusatus esse Philonidum, constituendum est. Itaque cum in hac oratione memoratam constet esse Naidem meretricem ex Athen. XIII. p. 586. E. F.: ἐν δὲ τῷ κατὰ Φιλωνίδου βιαίων ὁ Λυσίας, εἰ γνήσιος ὁ λόγος, καὶ Ναΐδος τῆς ἑταίρας μέμνηται, adeoque a Philonide amatam ex Lysia ipso apud Athen. XIII. p. 592. C.: τὴν δὲ Ναΐδα ταύτην Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Φιλωνίδου βιαίων, εἰ γνήσιος ὁ λόγος, ἐρωμένην φησὶ γενέσθαι Φιλωνίδου, γράφων ὧδε. ἔστιν οὖν γυνὴ ἑταίρα Ναῒς ὄνομα, ἧς Ἀρχίας κύριος ἐστίν, ὁ δὲ Τριήραιος ἐπιτήδειος, ὁ Φιλωνίδης δ' ἐρᾶν φησί, Melitensem autem voluptati perquam fuisse deditum sciamus, poeta vero abstinuerint a Venere necne ignoremus, Lysiae orationem probabile est contra Melitensem scriptam fuisse; id quod insigniter confirmaretur Pluti versu 179., si certa Athenaei coniectura esset, Ναῒς pro Λαῒς scribi iubentis l. c. litt. D., assentiente Harpocratione s. v. Ναῒς; quae coniectura non tam inepta est, quam Rittero videtur l. c. p. 37. Nec vero ullo modo ita licet statuere, ut Nais praetereundo tantum a Lysia commemorata putetur. Etenim verba: ἔστιν οὖν γυνὴ ἑταίρα et q. s. ita comparata sunt, ut causae enarrationem eis instituī, nemo facile, qui Lysiae norit dictionem, negaverit; tum ex praesentium usu rem oratione pertractandam declarari patet; quod si est, ex eo, quod Philonides, qui accusatur hac oratione, Naidem se profitetur amare, in Naide causam actionis

cerni consequitur. Iam cum actio βιαίων duplex sit, propter stupri violenti crimen, et propter rei mobilis occupationem, vi perfectam, de quo optime Meierus exposuit, de iudic. Athen. p. 544 sqq., in Naide autem actionis causam cerni viderimus, Philonidemque sciamus libidinosissimum fuisse, Lysiae orationem consentaneum est Philonidem Melitensem, stupri violenti, quod Naidi intulerat, reum spectasse. Nam liberam fuisse Naidem, et proinde vim ei inferri potuisse, de Atheniensium sententia, ex eo coniicimus, quod et κύριος eius commemoratur, et cognatus quidam. Cum enim servae, quae meretricium facerent, lenoni cuidam solerent subditae esse, Lysias profecto, si lenonem fuisse Archiam declarare voluisset, non usurpasset nomen κύριος, quo facile animus ad aliam ferretur cogitationem, sed aliud elegisset dicendi genus, velut ἦν Ἀρχίας βόσκει, τρέφει vel simile quid. Deinde, quo consilio servae cognatus commemorari potuerit, non intelligitur omnino. Sed quoniam Lysias Atheniensis hanc orationem composuit, Athenis causam Philonidis actam fuisse probabile est; Athenis igitur versata est meretrix illa, propter quam Philonides accusatus est. Nais igitur aut civis Atheniensis aut inquilina aut peregrina esse potuit; servam enim non fuisse, modo significavimus. Sed quoniam Archias eius κύριος commemoratur, aut civis aut inquilina Atheniensis fuerit necesse est. Deinde Archiam patrem eius fuisse, veri non est simile; pater enim unusquisque quoniam ipsa naturae filiae κύριος est, Lysias potius dixisset: ἧς Ἀρχίας πατήρ ἐστιν; itaque orba videtur fuisse. Iam Harpocr. s. v. Κακώσεως, postquam actionis κακώσεως genera explicuit, haec addit: ὅτι δὲ ἐξῆν καὶ παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι κακώσεως γονέων καὶ ταῖς ἐπικλήροις βοηθεῖν, δηλοῦται ἔν τε τῷ προειρημένῳ λόγῳ Ὑπερίδου καὶ ἐν τῷ Λυσίου κατὰ Φιλωνίδου βιαίων, εἰ γνήσιος. Ex ordine expositio-

nis consequitur, unumquemque licuisse filiae heredi male habitae succurrere, in Lysiae oratione ostensum putetur. Itaque Naidem meretricem, civem Atheniensem et quidem ἐπίκληρον fuisse, coniicere licet; id quod non mediocriter stabilitur Lysiae ipsius verbis, apud quem praeter Naidis κύριον Hymenaeus ἐπιτήδειος commemoratur; notissimum est enim, quantae utilitati filia heres quaedam proximis fuerit cognatis; namque ὑμέναιος, uti vulgo scribebatur, rectissime in nomen proprium conversum esse, interpunctionemque probe constitutam a Bekkero fragm. Lysiae p. 408. num. 49., in propatulo est, neque cur recentissimus Lysiae editor in hac re Bekkerum non secutus sit, perspicitur ullo modo.

Iam vero, qualis videatur status causae fuisse, exponere licet. Philonides, dives homo, at deformis, stultus, voluptatique deditus, Naide, cuius flagrabat amore, potiri cupiebat. Quae cum eius recusaret consuetudinem, Archiam, in cuius potestate erat, donis corrupit, et Hymenaeum, cui fortasse nubere debebat, ita in suas partes traxit, ut damnum κλήρῳ erepto factum, resarciret pecunia; itaque potitus est Laide invita; quo facto quispiam exorsus est Naidi opitulaturus, quippe cui vim a Philonide illatam esse existimaret; nam ubi tutor aut ipse iniuria afficeret, aut ab alio laedi pupillam pateretur, alii cuidam eius iura tueri concessum fuisse, et per se consentaneum est, et testatum ab Harpocratione. Opitulatus est autem sic, ut tutorem κακώσεως accusaret; post alius tutor, quem constitutum esse veri est simile, privatam actionem βιαίων Philonidi intendit.

Ceterum, etsi usquequaque huius orationis commemorationi additum reperitur, εἰ γνήσιος ὁ λόγος, eo totam nostram concidere coniecturam nemo hercle opinabitur. Duplex enim huius additamenti potest origo esse. Aut orationes, quae sine scriptoris nomine cir-

cumferrentur, oratori cuidam tribuerunt Alexandrini, coniectandique audaciam restrinxerunt additis verbis istis, aut abiudicarunt ab eo, cui vulgo ascriberentur, sententiamque suam significarunt verbis eisdem. Quodsi prius cadit in orationem adversus Philonidem, criticus, quisquis fuit, aut vere iudicavit, aut lapsus iudicio est. Si lapsus est, certe et dicendi genus et res ita debebant comparatae esse, ut facile oratio posset pro Lysiaca haberi. Contra, si quis Lysiae esse orationem negavit, satis est commemorasse illorum criticorum levitatem.

Denique, ut hoc addamus, cum Lysias Atheniensibus orationes non scripserit ante Ol. XCIV, 2., quo demum anno reversus Athenas est longo intervallo, causae tempus cum Philonidis Melitensis aetate patet optime congruere.

Tertius est Philonides Thebanus, Stoicus, qui familiaris fuit Zenonis Citiensis, soli commemoratus Diogeni L. VII, 9. Zeno enim, cum honorificentissime invitaretur ab Antigono Gonata — hunc enim Antigonum a Diogene l. c. §. 7. sqq. significari, satis a Perizonio ad Aelian. V. H. II, 20., aliisque locis, ostensum est — ut philosophicis ipsum sermonibus erudiret et expoliret, regis voluntati non obsecutus propter aetatem decrepitam valetudinemque infirmam, Philonidem dignum iudicavit, quem cum Persaeo ad Antigonum mitteret, ex quo Philonidem philosophum fuisse haud spernendum intelligitur. Hoc quando factum sit, satis certo definire licet. Utriusque enim iter Macedonicum memoratum tradit Diogen. L. l. c. ab Epicuro in epistola quadam ad Aristobulum fratrem missa. Epicurus autem mortuus est Ol. CXXVII, 2. secundum Diogen. L. X. §. 15. coll. Corsino Fast. Att. IV. p. 85.; Antigonus vero ad imperium accessit Ol. CXXV, 3., auctore Eusebio Canon. chronic. p. 231. interpr. Armen. Itaque cum iter factum esse inter Ol. CXXV, 3. et CXXVII, 2. certissimum sit, haud improbabile ad primum id Antigoni annum refert Corsinus l. c. p. 87.; quippe regem, ar-

tibus optimis deditum, statim, regno accepto, philosophos arcessivisse veri esse simillimum. Itaque Ol. CXXV. floruisse Philonides censendus est.

Praeterea strictim commemoramus primum Philonidem Syracusanum, exsulum ducem, ab Agathocle Syracusis eiectorum, qui in pugna quadam cum Pasiphilo et Demophilo, Agathoclis ducibus, commissa, interfectus est Ol. CXVII, 1.; de quo v. Diod. Sic. XIX. c. 104.; tum Philonidem, Zóti filium e Chersonneso Cretica oriundum, cuius erat statua Olympiae constituta inter athletas; cursor enim fuit Alexandri M., diciturque uno die Sicyone Elin cucurrisse, quae urbes MCC stadiis distant; de quibus omnibus v. Pausan. VI, 6, 4, ibiq. Siebel., et Plinium N. H. VII, 20., praetermissum a Siebelisio; post Philonidem, Dyrrhachii natum, Asclepiadis discipulum, cum duobus cognominibus ap. Stephan. Byzant. ss. vv. Δυῤῥάχιον, Ἀλόπη et Μηκύβερνα; denique Philonidem grammaticum, citatum in Etym. Orionis p. 90. l. 9.: Φιλωνίδης ἐν τῷ περὶ Ἑλληνισμοῦ, quem eundem esse atque Philonem Grammaticum, Koenius ostendit Praef. ad Greger. Corinth. p. XVIII, Schaef.

CAPUT II.

Emendatur et explicatur Pherecratis fragmentum, enarraturque Chironum Cratini argumentum.

Aggredimur nunc disputationem de Pherecratis fragmento, servato apud Plutarchum de Musica p. 1141. B. et 1142. Francof. vel T. V. p. 668. sqq. Wyttenb., et secundum Nicomachum musicum ex Chirone petito, quam ab eisdem Ἀγροῖς plane segregandam esse, contra Heinrichii demonstrationem laudatissimam, acute Meinekius demonstravit, Commens. Miscell. p. 11. sqq.; qua quidem disputatione suscipienda ne in temeritatis crimen incurrere videamur, — medendo enim thesauro malorum, his versibus contento, Hermannianam sequiri artem, cum Henrichio Meinekius censuit — sic velim de mea existimetur opella, ut, si quid boni a me prolatum fuerit, benevole accipiatur; sin minus, ut adolescenti, vires in graviore quadam re periclitanti, ne succenseatur. Transcripsimus autem versus Wyttenbachianum exemplar secuti praetermisimusque ea persequi, de quibus aut a Meinekio l. c., aut ab Iacobsio in Wolfii Analectis T. II. p. 375. sqq. vere expositum est.

Plutarchus igitur Musicam ita corruptam esse narrat, ὡς καὶ Φερεκράτην τὸν Κωμικὸν εἰσαγαγεῖν [illegible] Μουσικὴν ἐν γυναικείῳ σχήματι, ὅλην (fo. ὅλον) κα[illegible]κισμένην τὸ σῶμα. ποιεῖ δὲ τὴν δικαιοσύνην διαπυνθανομένην τὴν αἰτίαν τῆς λώβης καὶ τὴν Μουσικὴν λέγουσαν

Λέξω μὲν οὐκ ἄκουσα. σοί τε γὰρ κλύειν
ἐμοί τε λέξαι θυμὸς ἡδονὴν ἔχει·
ἐμοὶ γὰρ ἦρξε τῶν κακῶν Μελανιππίδης

ἐν τοῖσι πρώτοις, ὃς λαβὼν ἀνῆκέ με,
χαλαρωτέραν τ' ἐποίησε χορδαῖς δώδεκα.
ἀλλ' οὖν ὅμως οὗτος μὲν ἦν ἀποχρῶν ἀνὴρ
ἔμοιγε πρὸς τὰ νῦν κακά. — — —
Κινησίας δὲ ὁ κατάρατος Ἀττικὸς
ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς
ἀπολώλεκέ μ' οὕτως, ὥςτε τῆς ποιήσεως
τῶν διθυράμβων, καθάπερ ἐν ταῖς ἀσπίσι
ἀριστέρ' αὐτοῦ φαίνεται τὰ δεξιά.
ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποις οὕτως, ἦν ὅμως ὅμως.
Φρύννις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα,
κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν,
ἐν πέντε χορδαῖς δώδεκα ἁρμονίας ἔχων·
ἀλλ' οὖν ἔμοιγε χοῦτος ἦν ἀποχρῶν ἀνήρ.
Ὁ δὲ Τιμόθεός μ', ὦ φιλτάτη, κατορώρυχε
καὶ διακέκναικ' αἴσχιστα. Δικαιοσ. ποῖος οὑτοσὶ
Τιμόθεος; Μουσ. Μιλήσιός τις Πυῤῥίας
κακά μοι παρέσχεν· οὗτος ἅπαντας, οὓς λέγω
παρελήλυθεν ἄγων ἐκτραπέλους μυρμηκίας.
Κἂν ἐντύχῃ πού μοι βαδιζούσῃ μόνῃ
ἀπέλυσε κἀνέλυσε χορδαῖς δώδεκα.

Καὶ Ἀριστοφάνης ὁ Κωμικὸς μνημονεύει Φιλοξένου, καί φησιν ὅτι εἰς τοὺς κυκλίους χοροὺς μέλη εἰσηνέγκατο, ἡ δὲ Μουσικὴ λέγει ταῦτα.

Ἐξαρμονίους ὑπερβολαίους τε ἀνοσίους
καὶ νιγλάρους, ὥςπερ τε τὰς ῥαφάνους ὅλην
κάμπτων με κατεμέστωσε.

Versus quinque priores a corruptione liberi sunt et ad conformationem admodum expoliti; initium autem ipsum fortasse ex tragico quodam petitum. Sed quod Melanippides primus dicitur, abs quo Musice remissione corrupta sit, Timotheus autem post demum commemoratur, admonemur Plutarchi verba, quae paullo ante leguntur, quibusque a comico videtur dissentire. Postquam enim primus Lasus Hermionensis Musices simplicitatem eo corrupit, quod tibias ad maiorem varietatem sonorum et tenuitatem formavit, successerunt lyrici poetae, Melanippides, Philoxenus et Timotheus. οὗτος γὰρ, inquit, ἑπταφθόγγου τῆς λύρας ὑπαρχούσης — διέῤῥιψεν εἰς πλείονας φθόγ-

γοῦς. Videtur enim οὗτος pronomen ad neminem praeter Timotheum referri posse, quem cum constet primum fuisse lyra quindecim chordarum usum, haud mediocriter illa videtur stabiliri opinio. At Plutarchus tamen ipse primo Melanippidem nominavit loco, optimeque, quae Pherecratis versibus, statim ab ipso allatis, traderentur, tenuisse putandus est. Quocirca equidem non dubito, quin οὗτος ad Melannipidem pertinere debeat. Tametsi autem nostram tutari possumus sententiam, nixi more quodam Graecorum haud infrequenti, quo verba complura aut enuntiatum integrum perinde habent, quasi non sit positum, de οὗτος tamen pronomine certis licet testimoniis uti. Primum enim, si opponitur voci ἐκεῖνος, saepius relationis facta inversio est. Quod cum Xenophontis quibusdam et Demosthenis exemplis comprobasset Godofr. Bernhardyus Arte Syntact. Graec. p. 277., tum eundem Plutarchi esse usum annotavit. Deinde testimonium satis luculentum extat apud Anonymum de comoedia p. IX. l. 15. Dind.: τούτων (τῶν παλαιῶν κωμικῶν) δέ εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος, Μάγνης — — — Εὔπολις, Ἀριστοφάνης· οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διειρξιμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προσφιλοτεχνήσας. χρόνοις δὲ γέγονε κατὰ τὴν ογ΄ Ὀλυμπιάδα. Quodsi verba χρόνοις et q. s. ad Epicharmum pertinere patet, vehementer scriptorem facis infantem, ubi verba οὗτος πρῶτος ad Aristophanem referri vis; in qua opinione Guil. Dindorfius versatur annot. ad h. l.; at de Epicharmo haec dicta esse, perspicue ostendit Ioseph. Grysar de Dorienss. comoed. p. 71. sqq. et p. 193. sqq. Proinde et pro documento habere, et defendere licet auctorem dialogi de lege c. 13. p. 319. A.: νεμεσᾷ γὰρ ὁ θεὸς, ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἑαυτῷ ὅμοιον ἢ ἐπαινῇ τὸν ἑαυτῷ ἀναντίως ἔχοντα. ἔστι δὲ οὗτος ὁ ἀγαθός., ubi praeter necessitatem pro οὗτος Cornarius et Boeckhius, quem v. Praef. p. XXII. ὅμοιος scripserunt. Consentit igitur cum Pherecrate Plutarchus, neque huius verba pro corruptis habenda

sunt cum Boeckhio, de metris Pindari p. 205. ann. 8.

Revertimur ad Pherecratem, qui, etsi lyram, duodecim fides habentem, solus, quantum quidem scio, commemoravit, de hoc tamen numero non videtur dubitandum esse. Nam cum Athenis vetus Terpandri lyra emendari coepta esset, ab alio aliud veri est simile prius tentatum esse, quam Timothei opera lyra undecim chordarum inveniretur, et communi usu reciperetur. Itaque Melanippides ante potuit duodecim chordis uti, nixus quodammodo vetere tetrachordo, et Pythagoreo vel Lycaonis octachordo, quode cfr. Boeckhium de metr. Pind. p. 205. 206.

Versum septimum mancum esse significavit Brunckius, qui hoc fragmentum Aristophaneis adiecit T. III. p. 170. sqq. At quoniam sententia plene his duobus versibus descripta est, alio potuis loco quid intercidisse videtur; itaque coniecimus scriptum fuisse:

ἀλλ' οὖν ὅμως οὗτος μὲν ἦν, νὴ τὸν Δία,
ἀποχρῶν ἀνὴρ ἔμοιγε πρὸς τὰ νῦν κακά.

Constat enim saepissime a scribis in iurisiurandi formis peccatum esse, ut aut obliterarentur, aut praetermitterentur, aut loco moverentur suo. De priore genere memini quaedam acute correcta esse a Meinekio Praef. ad Menandr. p. XX.; quanquam quod attinet ad Avium versum 886.:

μᾶλλον εἰρήνην ἄγουσιν ἡμίν· ὥστε τὴν χύτραν

ἡμίν a Brunckio emendatum pro vulgato ἡμῖν tutantur Ravennas et Venetus. ita enim scripsit Bekkerus, qui Praef. p. VI. *hos igitur libros* (Ravennatem, Venetum et Mutinenses) inquit, *ita publici iuris facio*, ut *unamquamque eorum lectionem aut in textu aut in annotatione ponam*. Quodsi haec temere dixisset, insigni dignus foret nota. Praeterea gravissimum ab Elmsleio, Praef. ad Sophocl. Oedip. Tyr. p. XIII. Lips. documentum prolatum est ex Eustathio, Phrynichi comici senarius:

ἐβουλόμην ἂν ἡμῖν ὥςπερ καὶ πρότου.

abs quo corrigendi periculum quodque videtur alienum esse. Apud Aristophanem Eccles. 402.: ἀλλ' ὕστερος ἦλθον, νὴ Δί', ὥστ' αἰσχύνομαι, νὴ Δί', perperam collocatum post ὕστερον, corruptum est in Aldino exempl. et Iuntin. I. in νῦν. In eiusdem fragm. ex Senect. p. 106. Dind., quod in cod. Monacensi apud Spengelium pone Varronem de Ling. Lat. p. 629. sic scriptum est: ΓΗΡΑΤCΤ ΔΟΤΧ ΗΓΗΙ ΜΟΤ ΗΔΗ ΟΛΙ-ΓΑC CMCPAC, cum coniecissemus ultima sic scripta fuisse: νὴ Δί' ὀλίγας ἡμέρας, vidimus idem antea inventum esse a Meinekio apud Suvernium, Comment. de Aristoph. Senect. p. 9. Sed, quod ad priora attinet, non debebat ullo modo a Suvernio οὐχ tentari; nam quod in codic. Tegerns. apud eund. Spengelium legi-

C

tur: CΤΔΟΤC ΗΜCPAC, sciendum est C post Τ ultimam esse litteram vocabuli praetermissi: ὀλίγας; saepius enim factum est in eo codice, ut compluribus verbis verborumque particulis neglectis, ultima tamen postremi vocabuli servaretur littera, et coniungeretur aut cum antecedenti aut cum proximo vocabulo. Sed coniectura Suvernii tot et tantis nititur artificiis, ut persuasionis vi plane destituatur. Scripsit autem, ni fallimur, Aristophanes:

Α. Σὺ δ' οὐχ ἕπῃ μοι; Β. νὴ Δί', ὀλίγας ἡμέρας.

Quod in codice exaratum est ΗΓΗΙ, antiquitus sic scriptum fuit ΕΠΗΙ et post leni depravatione ΕΙΓΗΙ. Littera enim ε etsi plerumque in cod. Monac. significatur hac figura: C, addita in media figura lineola quadam, nonnunquam tamen usurpata est altera: E; velut p. 628. l. 6. a fin.: TOIC HMETCPOIC h. e. τοῖς ἡμετέροις. Praeterea Π in lineam rectam et Γ conversa

C

est eadem pagina l. 18.: ΑΚΑΝΙΓΟΤ h. e. Ἀσκλη-π(ι)οῦ. Τ autem et I saepissime confunduntur, et confusae sunt, si quid video, in Platonis comici versu ap. Priscian. T. II. p. 248. Kr. Prisciani verba sunt:

προσχοντες τούτων καὶ τούτοις καὶ πολλῇ πάντων, Πλάτων Περιαλγεῖ· Ἀλλ' ἡττῶντες οὐκ ἀνδρείως; πολλῇ πάντων προσχοντες. Pro ἡττῶντες, quod Lindemanno excidisse sanequam mirum est, apud Putschium ἄλλης οὖν ἔοικ' et in cod. Monac. CTOTTCCd extat. Huius nixi memoria a Platone scriptum coniicimus:

ἀλλ' ἐπτοιεῖσθ' οὐκ ἀνδρείως —

Acute verbo πτοιεῖσθαι adiectum est: οὐκ ἀνδρείως, quod cum in eadem fere significatione versetur, vim verbi valde adauget. Conferre licet, quod Nubb. 920. Aristophanes dixit: αὐχμεῖς αἰσχρῶς, Ranis 314.: ῥῆμα πτήξαντες, ubi v. Bergl., et quae maxime apposita sunt, Platonis verba ex Protagora p. 310. D. HSt.: καὶ ἐγὼ γιγνώσκων αὐτοῦ τὴν ἀναυδείαν καὶ τὴν πτοίησιν, τί οὖν σοί, ἦν δ' ἐγώ, τοῦτο; μῶν τί σε ἀδικεῖ Πρωταγόρας. Miror enim, quod vulgo scribitur, ἀνδρείαν, nemini suspectum fuisse. Nam quod Heindorfius sic haec explicat: *audacius vehementiusque hominis ingenium, quod non facile deterreatur, subitoque impetu incalescat*, interpretando studuit repugnantiam verborum obscurare, quippe cum vehementius ingenium, et quod non facile subito impetu incalescat, non soleat in uno eodemque reperiri coniunctum. Sed ut hoc fieri posse largiamur, quid tandem est, quod Socrates miratur? num miratur, quod ille, qui vehementi ingenio erat, nuntio allato de Protagorae adventu, paullum erat concitatus? Immò vero, iniuria adeo, de Socratis sententia, opus erat, ut homo ignavus minimeque strenuus aliquantum agitaretur. Quocirca necessarium videtur esse, ut pro ἀνδρεία scribatur ἀναυδεία. Sed, ut ad Platonem comicum revertamur, valde est dubium, quod apud Priscianum πολλῇ scriptum reperitur. Coniungitur enim cum comparativis verbisque, quae comparativorum vim aequant, aut πολύ, aut πολλῷ apud Atticos aliosque; sed qui πολλῇ comparativo adhibuerit, ignoro. Restat, ut Spengelii coniecturam l. c. p. 621. de Platonis versu: ἀλλ' αἰ-

πᾶσι τοῖς δ' commemoremus, qua Graecam linguam, ut saepius, novo dicendi genere auxit.

Iurandi formam νὴ τὸν Δία et ἀλλά particulam, quae et ipsa saepe negligitur, vere in Phrynichi versu mutilo ap. schol. ad Aristoph. Aves 11,

ἀνομάλους εἶπας πιθήκους:

revocavit Meinekius Quaest. Scen. I. p. 30. ann.; neque infelicius eiusdem periculum est de Antiphane apud Athen. II. p. 43. C., expromptum in Curr. Critt. p. 7. Eiusdem eclogae initium cum Porsonus Advers. p. 47. Lips. correxisset in hanc speciem: ῥᾴδ' ἡ χώρα φέρει διαφέρουσα τῆς ἁπάσης, Ἱππόνικ', οἰκουμένης, vehementer aliquando dubitabam equidem, num collocatio verborum: τῆς ἁπάσης οἰκουμένης in prosam Atticam caderet; atque confirmabat suspicionem nostram, quod Toupium videbam Emendatt. in Suid. T. II. p. 68. Ox. emendationem suam de Platonis versu ap. schol. Avium 1555.: κἀνταῦθα τῆς πάσης στρατιᾶς κάκιστος ἦν convertere in κ. πάσης τῆς στρ. Itaque cum optimum consuleremus *Graecitatis* magistrum, adiectiva πᾶς vel ἅπας et ὅλος solere aut ante substantivum et articulum poni, aut subiici substantivo repperimus. Eccles. igitur v. 1077. τὴν γῆν ἅπασαν dixit, Equitt. 170.: τὰς νήσους ἅπασας, similiterque Equitt. 214. 310. 681. Nubb. 1132. Pace 1309. Avibus 449. 508. 1299. Lysistr. 303. Thesmoph. 658. Eccles. 33. 445. 1150. Plut. 584. 679.; pariter Pace 27.: δι' ἡμέρας ὅλης, Avibus 227.: τὴν λάχμην ὅλην. adde Acharn. 138. 160. Equitt. 686. Nubb. 37. Eccles. 55. 63. 1158. Pluto 743.; et rursus Acharn. 593.: ἅπαντες οἱ φίλοι, Equitt. 392.: ἅπαντα τὸν βίον, eodemque modo Acharn. 552. Avibus 41. 448. 554. 1113. 1345. 1379. 1534. Thesmoph. 274. 975.; parce Equitt. 1196.: ὅλον τὸν πλακοῦντα, Lysistr. 1144.: ὅλην — τὴν Λακεδαίμονα, et sic Nubb. 75. Eccles. 1134. Plut. 1015. Aristophanis usus quoniam declarandus erat, non speramus,

putidae crimen diligentiae, quod reformidamus vehementissime, in nos collatum iri. Contra tria tantum exempla sunt ap. Aristoph., quibus Porsoni confirmatur coniectura. Vespis 546. in tetrametro anapaestico dictum est: ἀλλ' ὦ περὶ τῆς πάσης μέλλων βασιλείας ἀντιλογήσειν; Lysistr. 137. in trimetro: ὦ παγκατάπυγον θημέτερον ἅπαν γένος. quocum cfr. Nubb. 1456., et Eccles. 175.: ἄχθομαι δὲ καὶ φέρω τὰ τῆς πόλεως ἅπαντα βαρέως πράγματα, coll. v. 579. Equitt. 214. Acharn. 499., qui ad vulgarem consuetudinem accommodati sunt. Ubique igitur collocationis insolentia paullum remota est eo, quod alia sunt interposita vocabula. Nubium autem v. 463.: τὸν πάντα χρόνον μετ' ἐμοῦ ad tragicam gravitatem compositus est, et significatione differt Eccles. v. 665.: οὔκουν ἄγξουσ' εὖ καὶ χρηστῶς ἐξῆς τὸν πάντα γέροντα. nihilque valet, quod Nubb. 205. 206. dictum est: γῆν ἀναμετρεῖσθαι — πότερα τὴν κληρουχικήν; — οὔκ, ἀλλὰ τὴν ξύμπασαν., et Thesmoph. 183.: τίς οὖν παρ' ἡμῶν ἐστιν ὠφέλειά σοι; — ἡ πᾶσ'. —. Verum lyrici et tragici rursusque posteriores scriptores, velut Pausanias, et, si recte memini, scholiastae frequentant, quod devitavit Aristophanes. Sed apud Aeschylum Prometheo 866. Blomf.:

τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσιν βροτοῖς

nescio an inverso ordine πᾶσι τοῖς βροτοῖς scribendum sit. Memorabile est enim, ῑ litteram, ab editore Glasg. et Blomfieldio adiectam, librorum auctoritate destitui; nec vero temere omitti cum Wellauero potest, quin aliud quaeratur remedium.

In Eupolidis versu ex χρυσῷ γένει apud schol. ad Aristoph. Acharn. 3.:

ἀριθμεῖν δεκτὰς ψαμμακοσίους

fortasse in fine supplendum est νὴ Δία. Sed de Antiphanis dicto apud Stobaeum Floril. LIX, 6. Gaisf. p. 376, 48. Gesn.:

Δύστηνός ὅστις ζῇ θαλάττιον βίον.
Τῶν γὰρ πλεόντων ζητεῖν ἑκάτον στάδια
ἐλθεῖν που δεῖ κρεῖττον ἢ πλεῦσαι πλέθρον.

tametsi multa extant criticorum conamina, quae novo quodam auxit Frider. Iacobsius Lectt. Stobenss. p. 16., nullum tamen, quod quidem satisfaceret, novimus. Itaque his praetermissis, quid nos consecuti simus, declarabimus. Comparatio instituitur inter navigationem et terrestre iter, et longius huius spatium praefertur minori maritimo; quo autem magis appareat, quanta soleat navigantium esse temeritas, accommodatissima sit eius commemoratio rei, propter quam sese mari committere solent; quae lucri cupido est. Itaque facile eo adducimur, ut πλεόντων ex πλεόνων depravatum existimemus. Proximum verbum ζητεῖν corruptum sit necesse est; namque et metrum eo laeditur, neque infinitivi perspicitur ratio. Porro, quod versu tertio legitur σπουδῇ, hoc enim in Codd. Pariss. A. et B. repertum est, item metrum corrumpit, sententiamque turbat; quo tamen sublato, maxima pars trimetri plana est: ∪ ⏑ ∪ ἐλθεῖν κρεῖττον ἢ πλεῦσαι πλέθρον. Intelligitur autem σπουδῇ cum genetivo eius rei, cui cura impertitur, optime iungi posse; genetivus igitur πλεόνων, unde pendeat, habet; at videndum est, ne σπουδῇ vocab. explicatio sit alius cuiusdam. Iam cum verbi ζητεῖν varias formas constet in codd. notari solere hoc modo: ζῇ, quode v. Bastium ad Gregor. Cor. p. 341., scribendum coniicimus ζητοῦντα, et initio versus τόν. quod cum explicatum esset voc. σπουδῇ, hoc postea alieno l. in versum ipsum irrepsit. Tum quoniam vocab. στάδια, nisi transpositione uti velis, primo versui accommodari nequit, alter autem ab initio mancus est, ad alterum versum illud reiicimus vocabulum; quod si feceris, adiecto verbo substantivo, integer est trimeter:

στάδι' ἐστὶν ἐλθεῖν κρεῖττον ἢ πλεῦσαι πλέθρον.

Adde igitur priore versu iurandi formam, et versus habebis hosce:

Τὴν γὰρ πλεόνων ζητοῦντα, ναὶ μὰ Δί', ἑκατὸν
στατὸν ἐστὶν ἰδεῖν κρεῖττον ἢ πλεῦσαι πλίθρον.

Denique loco suo motum erat iusiurandum in Eubuli fragm. ap. Athen. I. p. 23. A. B.:

Α. Σάκων ἐγὼ
βεβρεγμένος ἥκω καὶ κεκωδωνισμένος.
Β. πέπωκας οὗτος; Α. νὴ μὰ Δία, πέπωκ' ἐγὼ
Μενδαῖον.

Scribebatur vitio aperto: πέπωκ' ἐγὼ, μὰ Δία, Μενδαῖον. Sed qua ratione ductus Guil. Dindorfius, qui initium senarii finxit haud sane elegans: ναὶ μὰ Δία Μενδαῖον, Eubuli verba integra esse negarit, plane non intelligitur.

Sed quod supra ἀλλά particulam a Meinekio restitutam commemoravimus, admonemur corruptissima Eupolidis verba ex Capris, conservata ab Erotiano in Glossar. Hippocr. p. 348. Fr.: σελαχίοισι, μικροῖς ἰχθυδίοις — μέμνηται τῆς λέξεως καὶ Εὔπολις ἐν Αἰξὶ λέγων· ὡς ἤ ποτε αὐτὸν ἦν κάμῃ τις, εὐθέως ἐρεῖ πρὸς αὐτὸν περίνει σελάχιον. Τί δὲ ἦν λύκον κεκράξεται, φράσειΐται πρὸς τὸν αἰπόλον. Duo in his vere emendata sunt a Meinekio, Cur. critt. p. 60., περίω μοι pro περίνοι, quod tamen occupatum ab alio quodam fuisse Runkelius annotavit p. 89., et φράσει τε pro φράσειΐται; calami enim vitio cum apud Meinekium scriptum esset φράσεΐ τε, fideliter hoc accepit Runkelius. Sed totum dictum ita arbitramur refingendum esse:

Α. ὡς ἦν ποτ' αὖ γενᾶν κάμῃ τις, εὐθέως
ἐρεῖ πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ πρῴην μοι σελάχιον.
Β. τί δ' ἦν λύκον — — — — — —
Α. κεκράξεται φράσει τε πρὸς τὸν αἰπόλον.

Loquuntur de capra quadam. Versu altero anapaesti anacrusis inter duo dispertita vocabula satis interpunctione excusatur. Sententia autem versus tertii haec fere erat: Quid, si appropinquantem videat lupum? Eadem ratione, qua syllabas τος. αὐτόν, seiunximus,

placet nunc, etsi multos possumus, unum tantummodo emendare Machonis versum apud Athen. XIII. p. 586. E. Refert poetilla ioculare quoddam Gnathaenae dictum hoc modo:

> Ἰδοῦσ' ἔφηβον ἡ Γνάθαιν' ἰσχνὸν πάνυ
> καὶ μέλαιναν λεπτόν θ', ὡς ἔοικ', ὑπερβολῇ
> καὶ λιπαρόν, ἔτι δὲ τῶν ἐφήβων βραχύτερον,
> ἔσκωπτεν εἰς Ἄδωνιν.

Frustra autem tum alii tum Meinekius Cur. critt. p. 66. vocem λιπαρόν tentarunt. Etenim quis non miretur, quod, cum hominis illius tenuitas satis declarata esset verbo ἰσχνός, alio quodam verbo interposito, tenuitatis iteretur memoria; quod, qui ἰσχνὸς πάνυ modo dictus est, statim λεπτὸς ὑπερβολῇ audiat, inaniter additis verbis ὡς ἔοικ'? Hoc, si quid, patientia est abuti lectorum. Verum etiam gravius illud est; quod qui homo tenuissimus, niger et parvus cum Adonide potuerit a Gnathaena comparari, ne tantillum quidem intelligitur. Debebat enim hoc pacto aliquid inesse in isto homine, quo ipse sibi ad pulcritudinis speciem accedere videretur. Quoniam igitur comparatio cum Adonide in verba, qualia nunc sunt, non convenit, et propter aliam quandam causam λεπτόν suspicioni obnoxium est, et emendationis necessitas videtur, et corruptelae locus ostensus esse. Scribe igitur:

> καὶ μέλαν', ἀλειπτὸν δ', ὡς ἔοικ', ὑπερβολῇ
> καὶ λιπαρόν.

Voluit igitur homo iste tenuis et niger unguentorum quasi ornatu naturae deformitatem obscurare; quamobrem Adonis quidem esse Gnathaenae videbatur. Patet igitur, vocem λιπαρόν omnium sanissimam esse. Sed vocabuli ἀλειπτός etsi probum auctorem novi nullum, composito tamen κατάλειπτος Aristophanes utitur, velut Equitt. 1337.

Addimus exempla duo, quibus male separata sunt, quae coniungi oportebat. Apud Polluc. X. §. 43. cum Chionidis versus ex Heroibus sic scriberentur vulgo:

Πολλοὺς ἐγὼ δ' ἀκούω κατά σε νεανίας φρυγοβύντας ἀτεχνῶς, κἂν σάμακι κοιμωμένους., egregie Bentleius perspexit Epist. II. ad Hemsterh. p. 94., et post Bentleium Porsonus Advers. p. 251. Lips., ex cod. Falck. memoria: παλλαὺς ἐγὼ δακού κασά σε v. revocandum esse:

Παλλαὺς ἐγῶδα, κοὐ —

Sed non debebant intactum relinquere, quod Graecum non est: κοὐ κατά σε νεανίας; corrigendum est enim

Πολλοὺς ἐγῶδα κοὐ κακοὺς νεανίας.

Nam ne quis ab elegantia veteris poetae nostram abhorrere coniecturam opinetur, ascribimus elegantissimi poetae versus duo, Pluti v. 233.: μεστὴν ποιῆσαι καὶ δικαίως κἀδίκως, et Equitt. v. 256.: οὓς ἐγὼ βόσκω κεκραγὼς καὶ δίκαια κἄδικα.

Idem Pollux X. §. 15. postquam fori eam partem, ubi vasa venibant, κύκλον esse appellatam tradidit, Diphili versus quosdam, in quibus lepide homo, multa et varia supellectile oneratus, illi fori cyclo contenditur, affert:

καὶ πρόσεστι τοίνυν ἐσχάραν, κλίνην, κάδον
ὀτρώματα, συνόν, ἀσκοπήραν, θύλακον
ὅς που στρατιώτην ἄν τις, ἀλλὰ καὶ κύκλον
ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὀρθὸν βαδίζειν ὑπολάβοι
τοσοῦτος ἔσθ' ὁ ῥῶπος, ὃν σὺ περιφέρεις.

Primo versu κλίνην subtiliter Hemsterhusius emendavit pro vulgato καὶ νῦν. Altero v. idem non reperiebat, quomodo corruptum συνόν expediret. Bentleius autem l. c. p. 91. confidenter σίγυνον reponi iussit; propterea enim hominem, quisquis est, cum milite comparari. At haec quidem comparatio in eo cernitur, quod miles vasorum onere fere opprimitur; praeterea domestica enumerantur utensilia. Itaque Diphilo vocabulum, quod cum reliquis egregie congruit, cuiusque initium a syllaba superiore absorptum est, adhibemus: λάγυνον. Dixit idem Diphilus ap. Athen. XI. p. 499. C.: λάγυνον ἔχω πενὰν, ᾧ γραῦ, θύλακον δὲ μεστόν;

quod perperam tentavit Emsleius in censura Hecubae Porson. p. 271. Lips. Versu tertio miror Bentleium neque inepto *πού* offendisse neque ineleganti enuntiatorum copulatione. Scribendum est autem:

ἆρ᾽ οὐ στρατιώτην ἄν τις, ἀλλὰ καὶ κύκλον

Denique pro ὀρθόν v. 4. aliquando suspicabar ὅλον corrigi oportere; sed video nunc, ὀρθόν poetam dixisse, ut vasa, quae dispensa iaciebant in foro, aliud super alio positum declararet.

Ad Pherecratem revertimur. Versu octavo imperite Brunckius γάρ substituit pro δέ particula, qua scite retenta, Meinekius l. c. p. 12. numeros redintegrari voluit in hanc speciem:

Κινησίας δ᾽ ὁ τρὶς κατάρατος Ἀττικός.

At quid est, cur tanto opere infelicem illum Cinesiam Musice aversetur? Licet autem huic loco, si cui, δέ γε particulas adhibere, quas adversando adaugere aliquid commonstravit Reisigius Comm. critt. ad Soph. Oed. Col. p. 379. Scribi igitur volumus:

Κινησίας δέ γ᾽ ὁ κατάρατος Ἀττικός.

Quod ictus in formam articuli ὁ cadit, idem factum est apud Aristoph. Pace 550.: τἄλλον θ᾽ ἑαυτόν; ὁ δέ —, Ranis 277.: ὡς οὗτος ὁ τόπος —, ibid. 652.: δίκαιος ὁ λόγος —, fragm. ex Tagenist. p. 185. Dind. v. 5: πᾶς γὰρ λέγει τις, ὁ μακαρίτης —. Sed Atticus nominatur Cinesias is, qui Meletis citharoedi filius fuit sec. Platon. Gorg. p. 501. D. HSt., cum alius fuerit Thebanus, teste schol. ad Ranas 153, Euagorae, ut videtur, filius, commemorati a Platone comico ap. Galen.; duo enim cognomines extitisse, ex Aristotelis didascaliis schol. refert ad Arist. Aves 1365. Sed de hoc longius nunc expatiari nolo; adiicio tantum, negligenter a Guil. Dindorfio ad Aristoph. fragm. p. 109. de Cinesia mandari lectores ad Meinek. Quaest Scen. H. p. 63. 64., qui nihil, nisi alio se loco de eo expositurum promisit p. 66.

Verum, quamobrem Cinesias vituperetur, nunc exponendum est; versionibus enim stropharum ἐξαρμονίοις effectum esse, ut in eius dithyrambis dextra viderentur sinistra esse. Versiones autem ἐξαρμόνιοι aut eae esse possunt, quae non ad harmoniam accommodatae sunt, sed ad aliud genus, velut chromaticum, aut eae, quibus harmonia, universe dicta, corrumpitur. Quodsi chromatico genere usus fuisset Cinesias, etsi recte reprehenderetur propter enervationem musices, tamen non intelligitur, qui illa, quae memoratur, inversio orta sit, si modo constanter illud genus usurparit. Quocirca versionibus stropharum ἐξαρμονίοις declarari arbitror saltationem chori cyclii, non congruentem illam neque cum modo tibiarum vel lyrae neque cum cantu. Itaque factum videtur in Cinesiae dithyrambis, ut chorus versiones faceret, antequam tibiis significarentur; quare, ubi secundum musices rationem dextra debebat parte chorus collocatus esse, sinistra conspiciebatur et invicem. Atque haec quidem explicatio tum schol. Ranarum 153., qui de Cinesia sic: ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει ἐχρήσατο, tum comparatione confirmatur iocosa, qua Pherecrates utitur, hac: καθάπερ ἐν ταῖς ἀσπίσι ἀριστερὸ αὐτοῦ φαίνεται τὰ δεξιά. Ἀσπίδες enim ordines militum sunt, de qua significatione cfr. Bergler. ad Aristoph. Lysistr. 282., et quem Dindorfius ibi ascripsit, Sturzium Lexic. Xenoph. T. I. p. 444. In ordinibus autem militum nullius dextra pars sinistra potest videri, ubi frontem ordinum aspicis, nisi si quis tergum vertit; itaque simul ignaviam Cinesiae poeta cavillatur, quae item haud obscure notatur a Lysia ἀπολ. δωροδ. p. 708. Reisk. Καὶ ὧν Κινησίας οὕτω διακείμενος πλείους στρατείας ἐστράτευται, οὗτοι περὶ τῶν τῆς πόλεως ἀγανακτοῦσι. Patet igitur Musicam, licet non mutatam, tamen quodammodo corruptam ab Cinesia esse et debilitatam, saltationis et tibiarum sublata congruentia.

His expositis ad versum 13. emendandum accedere

licet. Quatuor igitur aut quinque poetae cum hac ecloga perstringantur, et Melanippidi et Phrynidi quandam post vituperationem laudis speciem videmus attribui, in Timotheum autem omnem cavillationis vim congeri; itaque quoniam Cinesias medius positus est inter Melanippidem et Phrynidem, huius quoque peccata exspectas quodammodo excusatum iri; quocirca non dubito, quin Pherecrates ἀλλ' οὖν ἂν εἴποις scripserit, eisdem usus particulis, quibus vv. 6. et 17. Iam cum a Cinesia Musices rationem ipsam non mutatam esse viderimus, facilis est haec emendatio:

ἀλλ' οὖν ἂν εἴποις, οὗτος ἦν ἁπλοῦς ὅμως.

Nam ἁπλοῦς et ὅμως, maiusculis scripta litteris, quantam habeant similitudinem, Bastius monstrat Comm. Palaeogr. p. 919. Sed quae Brunckius et Wyttenbachius de hoc versu commenti sunt, pariterque Iacobsii coniecturam l. c. p. 376. proditam, commemorare non attinet.

Versu decimo offensione non carent priora: ἀπολώλεκέ μ' οὕτως. Tametsi enim ultima verbi ἀπολώλεκε non acuitur ictu metrico, et propterea accuratae Dawesii observationi, expromptae in Miscell. critt. p. 211. 212. vel p. 381. Kidd. non repugnat, tamen vel hoc, quod syllaba, quam plane oportebat delitescere, pronuntiandi vi intenditur, ab elegantia videtur veteris poetae abhorrere. Quocirca vix dubitamus, quin a Pherecrate profectum sit:

οὕτως μ' ἀπολώλεχ', ὥστε —

nam ἀπολώλεκ' ἔμ' οὕτως quis expetat? Cetérum a Dawesiana illa lege prudenter Parrius ap. Maltbium, Prolegg. ad Morell. Thes. Prosod. p. xlvi, vocabula αὐτίκα μάλα seiungenda vidit esse, quae laudabili consilio Porsonus, teste Kiddio l. c., scribendo coniunxit. Exemplis, a Parrio citatis, addimus Lysistr. v. 739. Pace v. 369. Ran. v. 793.

V. 16. Lyra quinque chordis instructa etsi no-

minatur interdum, velut ab Thrasyllo mathematico, quem v. ap. Boeckhium de metr. Pind. p. 204., tamen Pherecratis aetate a quoquam usurpatam esse non credibile est, quoniam Terpandri heptachordum usque ad Timotheum omnium usu receptum erat. Quamobrem rectissime, mea sententia, Burettus in Comment. litter. Acad. Paris. T. XXIII. p. 152. pro πάντα scribi voluit ἑπτά, quod ne cui audacius factum videatur, consideret velim numerorum notas has: Π et IIII., omissione similium linearum saepe confusas. Sed tamen mirum videatur oportet, quod Phrynis ex heptachordo duodecim harmonias elicuerit, cum harmoniarum multitudo ex fidium numero apta sit, ut Timotheus undecim habuerit harmonias, et lyra quindecim chordarum quindecim, quode cfr. Boeckhius l. c. p. 212., et Thierschius Prolegg. ad Pindar. p. 43. Quanquam cogitari potest, summa tum remittendis tum intendendis fidibus varietate adhibita, effectum fuisse a Phrynide, ut heptachordum duodecim harmonias aliam post aliam ederet; ac propter ipsius remissionis et intentionis abusum recentiores musici a Plutarcho castigantur.

Versu vicesimo animum advertit ῑ demonstrativum pronomini οὗτος additum, quod, cum verbis οὗτος ὁ Τιμόθεος obiectum, quod sit, satis definiatur, demonstrandi vim suam conservet necesse est; nisi forte versus absolvendi gratia a poeta additum existimas. Quocirca, cum ostendentes hominem quendam, quali sit specie externa declaramus, ποῖος οὑτοσί dici non posse apparet, ubi externam tantum cuiusdam speciem quis sciscitatur. Iustitiam autem in hoc versu nihil praeter hoc ipsum requirere, Musicae testatur responsio: Μιλήσιός τις Πυθέας —; verba igitur ποῖος οὑτοσί constructione seiungenda sunt. Nam quod Lobeckius ad Phrynichum p. 59. ποῖος pro ποδαπός hoc loco dictum opinatur, non perspicitur hercle, quid secuta Musice, cuias esset Timotheus, interrogarit; neque eo pacto

difficultas, quae in v. 22. inest, tollitur. Quodsi ostendendi vim suam retinet pronomen οὑτοσί, et seiungendum a ποῖος est, primum unam omnium verissimam esse perspicitur Meinekii emendationem v. 21.: ὁ Τιμόθεος, planeque spernendum, quod Iacobsius voluit l. c. Τιμόθεος ἦν; nam Brunckii Τιμόθεός ἐστι iamdudum reiectum est a Iacobsio et Meinekio. Tum ποῖος, ironice dictum, pro integra habendum est interrogatione, quasi scriptum sit: ποῖος ὢν κατορώρυχά σε; ad quae Musice respondet: Μιλήσιός τις Πυῤῥίας κακά μοι παρέσχεν. Tenendum est autem, haec a Musica dici voce admodum demissa, quippe quod indignissimum esset, ab homine, qui attributo Πυῤῥίας in servorum numero ponitur, tanta affici contumelia; namque rem veneream in tota hac ecloga saepius a poeta respici, recte Iacobsius commonuit. Iam illa responsione data, quam seiungendam a reliqua expositione esse, ipsum verbi παρέσχε tempus declarat, narrationem suam Musice continuat, et voce quidem propter indignationem summam vehementer intenta; ad quam quidem vocis intentionem et anapaestus paullo crassior τος απαν accommodatissimus est, et vero asyndeton enuntiati οὗτος ἅπαντας — —. Verbo significare licet Iacobsii coniecturam: κακά μοι παρέσχεν ὅσ' οὗτος. ἅπαντας, quae vel propter anapaestum: χεν ὅσ' οὑ plane intolerabilem reiicienda est.

v. 23. Quanquam verborum ἐκτραπέλους μυρμηκίας Meinekii prior interpretatio „*turpissimae verrucae et tubera*," per se reprehendi nequit, tamen a veritate abesse videtur iccirco, quia poetam veri est simile ita locutum esse, ut simul rationis, qua Timotheus Musicam corrupisset, quaedam inesset significatio. Qua eadem, ut videtur, re motus Meinekius mavult μυρμηκιάς scribi hac sententia „*formicarum agmina mihi immittens*," quo artificiosi sonorum flexus significentur. At primum haec quidem explicatio videtur artificio quodam explicandi egere, cuius demum opera, quid

significatum sit; intelligatur; tum eiusdem nititur coniectura ἐπάγων, pro eo, quod vulgatur ἄγων. Extat autem apud Hesych. T. II. c. 636, praeter glossam Μύρμηκος· ἀτραπούς; quae ad Aristoph. Thesmoph. v. 100. spectat, alia quaedam huiusmodi: μυρμήκων ὁδοί. Ἀθήνησι τόπος καὶ αἱ μονόκωλοι τρίβοι. ἀπὸ τῆς τοῦ ζώου ὁμοιότητος κατὰ τὴν ὁδὸν γενομένου. Μονοκώλοις τρίβοις tramites declarari videntur, qui quasi unam tantum partem vel unum membrum habent, si conferantur cum viis latioribus. Praeterea in Attica videtur locus quidam fuisse, ubi complures μονόκωλοι τρίβοι vel μυρμήκων ὁδοί convenerunt, qui et ipse dictus est μυρμήκων ὁδοί. Illas autem μυρμήκων ὁδούς consentaneum est etiam μυρμηκείας sive μυρμηκίας ὁδούς, vel simpliciter μυρμηκείας sive μυρμηκίας dictas fuisse, cum vocabulum ὁδοί proclive erat cogitatione addere; nam etsi formarum μυρμήκιος et μυρμήκειος exemplum, quod sciam, reperitur nullum, licet hanc afferant Schneiderus et Passovius, utramque tamen Graecorum usui convenire ex similitudine formarum, velut ποτάμειος et ποτάμιος, ἵππειος et ἵππιος, aliarum, certo colligitur. Itaque μυρμηκίαις ἱκτραπέλοις, hoc est tramitibus angustis, a recta linea declinantibus, vel curvis et inflexis Musice a Timotheo se ductam esse dicit, quod tantundem valet atque Aristophanis de Agathone verba, Thesmoph. 100: Μυρμήκος ἀτραπούς — διαμινύρεται; quibus verbis scite annotat schol. Rav.: ὡς λεπτὰ καὶ ἀγκύλα ἀνακρουομένου μέλη τοῦ Ἀγάθωνος. Hac igitur explicatione probata et Meinekii concidit coniectura ante commemorata: ἐπάγων, et vero Iacobsii, ἀτραπιτοὺς μυρμηκιάς scribi iubentis, qua in re haud satis considerate vir doctissimus vocabulum epicum rarissimum in trimetrum intulit comici Atheniensis. Ab eadem parte, ut hoc quasi praeteriens commemorem, tenue laborat Spengelii conamen de Menandri quodam versu redintegrando. Schol. enim codicis Bembini ad Teren-

tiam, ex quo nonnulla descripsit Spengelius ann. ad Varron. de Ling. Lat. p. 118., cum ad versum ex Adelphis IV, 5, 59.: *quid credebas? dormienti haec tibi confecturos deos?* haec annotasset: Menandri v. . sus est in illo loco que ..... ΓΥΜΝΑΤΣΡΑΝ ... ΤΤΑΛΟΝ — Spengelius *videndum*, inquit, *ne in illis corrupta lateant verba . . γ' ὑμῖν ἄτερ ἀν . ., ut praecesserit πόνου vel καμάτου.* Integrum Menandri versum quomodo restituam, nunc non habeo, sed exitus tetrametri, ni fallor, hic fuit:

διαπεράναι τοὺς θεούς·

Sed ultima verbi παρελήλυθεν vitiosa est propter eam causam, quam ad v. 10. exposuimus; itaque resecanda est; quo facto, cum syllaba ad versus integritatem desit, scribendum coniicimus:

Παρελήλυθ' ἄγαν μ' εἰς ἐκτραπίλους μυρμηκίας.

EIC ante EK facile intercidere potuit.

v. 25. Sanissima arbitror esse verba: ἀπέλυσε κἀνέλυσε h. e. solvit me, significatu ancipiti, rursusque solvit me; qua verbi eiusdem geminatione egregie actionis describitur repetitio. cfr. Aristoph. Acharn. 410. ὦ Ζεῦ, διόπτα καὶ κατόπτα πανταχῆ., Pace 368.: ἀπόλωλας, ἐξόλωλας, Nubb. 1139.: θεός μοι πρυτανεῖ' ἀπολεῖν μέ φησι κἀξολεῖν, fragm. incert. LX. Dind.: Τὸν σαπέρδην ἀποτίλαι χρὴ καὶ καταπλῦναι κἄτ' ἐκπλῦναι καὶ διαπλῦναι.

Restat, ut de tribus versibus dicatur, qui Plutarchi quibusdam verbis interpositis, videntur Aristophani tribui. At quin Pherecratis sint, mea quidem sententia, dubium esse nequit, primum quod a Musica dicti perhibentur, tum, quia Plutarchus, si Aristophanis voluisset testimonium afferre, tale attulisset, quo, quod probandum esset, probaretur. Sed quidtandem factum est, ut, si Pherecratis versus essent, a prioribus seiungerentur? Sciendum est igitur, quod Aristophanes

commemorasse dicitur, cycliis choris a Philoxeno μέλη adhibita esse, eius memoriae ne tenuissimum quidem vestigium extare in ulla comoedia superstite; nec vero in fabula quadam deperdita de eo traditum fuisse, statim apparebit. Namque consideranda sunt diligenter, quae ad Pluti Aristophaneae versus 290. 291.:

καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι, θρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα
μιμούμενος κἀὶ τοῖν παδοῖν αὖθ' παρυσαλεύων
ὑμᾶς ἄγειν,

scholiastae annotarunt: θρεττανελὸ] τὸν κιθαρῳδὸν sc. μιμούμενος. ἡ γὰρ κιθάρα κρουομένη τοιοῦτο μέλος ποιεῖ, θρεττανελὸ. Ἄλλως. Φιλόξενον, τὸν διθυραμβοποιὸν ἢ τραγῳδοδιδάσκαλον διασύρει, ὃς ἔγραψε τὸν ἔρωτα τοῦ Κύκλωπος τὸν ἐπὶ Γαλατείᾳ. εἶτα κιθάρας ἦχον μιμούμενος ἐν τῷ συγγράμματι, τοῦτό φησι τὸ ῥῆμα θρεττανελό. ἐκεῖ γὰρ εἰσάγει τὸν Κύκλωπα κιθαρίζοντα. Dubitabisne igitur illa, quae apud Plutarchum leguntur, ex his scholiis ducta existimare? et ab homine quidem satis imperito, qui, quae ab scholiasta essent exposita, Aristophani ipsi attribueret; qualem errorem esse a Plutarcho commissum, haud sane probabile est. Possumus autem declarare, quamobrem haec de Aristophane notitia addita sit; voluit enim quispiam explicare vim vocabuli κίγλαροι, de quo statim dicetur. Illis autem additis verbis, primum expulsi quidam sunt Pherecratis versus, qui statim post v. 25. sequebantur, quorumque continuatio tribus versibus etiamnunc conservatis continetur, tum vinciendae orationis causa adiecta haec sunt: ἡ δὲ Μουσικὴ λέγει ταῦτα. Nec vero quemquam arbitror illis verbis iccirco patrocinaturum esse, quia versum adeo Aristophanis facile liceat cognoscere; eum enim verba quaedam iubeo grammatici cuiusdam legere, quae pro versibus Menandreis Bekkerus habuit Anecdd. Graec. I. p. 411, 15.

Iectis igitur verbis, quae perperam pro Plutarcheis habita sunt, viaque et ordine tribus versibus vin-

dicatis Pherecrati, horum explicationem et emendationem paucis licet absolvere. Itaque ὑπερβολαίοις constat sonos declarari acutissimos in systemate quodam ex quattuor vel quinque tetrachordis composito, quode cfr., si tanti est, Gaudentium Harmon. introd. p. 9. Meib.; qui soni de antiquorum Graecorum sententia recte dicuntur ἀνόσιοι. Νίγλαροι autem merae sunt voces, quibus certa quaedam significatio non subiecta est, quale Aeschyli est: Φλαττόθρατ. Hesychius enim T. II. c. 682.: νιγλαρεύων. τερετίζων et νίγλαροι. τερετίσματα. περίεργα κρούσματα, Photius lex. p. 300. init.: νιγλαρεύων. τερετίζων. καὶ ὁ νίγλαρος κρουματικῆς διαλέκτου ὄνομα. coll. p. 578, 18.: τερετίσματα. ᾠδαὶ ἀπατηλαί. ἢ ἄσματα ἔκλυτα, et Hesych. T. II. c. 1366.: τερετίσματα. ᾠδαὶ ἀπατηλαί. τὰ τῆς κιθάρας κρούματα. Ascripsimus haec, ut ne dubitationem moveret Pollux IV. §. 82., qui νίγλαρος in tibiarum numero ponit, cui tamen γίγγλαρος substituendum vidit Barkerus Diar. Class. XXXI. p. 112., citatus Dindorfio ad Aristophanis Acharn. 553. Porro verbis ὥςπερ τε τὰς ῥαφάνους comparationem quandam contineri patet; nec vero offensionis quicquam habet articulus, quoniam ex ταῖς ῥαφάνοις componitur ῥάφανος, quanquam etiam simpliciter ῥάφανοι dicuntur pro ῥάφανος, velut a Nicochare comico ap. Athen. I. p. 34. E. Facile autem intelligitur, musicum sonos acutissimos et gravissimos temere miscentem dici potuisse quasi quandam brassicam in musices artem inducere. Quocirca, etsi ad structurae grammaticae integritatem participium quoddam, velut miscens, desideratur, sententiam tamen horum versuum perspicere licet, modo pro ὥςπερ τε scribatur ὥςπερ γε, et pro καμπτων genetivus pluralis καμπῶν, recteque interpungatur hoc modo:

ἐξαρμονίους ὑπερβολαίους τ' ἀνοσίους
καὶ νιγλάρους, ὥςπερ γε τὰς ῥαφάνους, ὅλην
καμπῶν με κατεμέστωσε.

De coniunctione autem particularum ὥσπερ γε satis habeo commemorasse Reisigium Coniectt. p. 257. et Heindorf. ad Phaedon. p. 78. Tum coniecturam nostram κεμπτῶν vidimus ab Elmsleio occupatam ad Acharn. 559., ab quo, quae praeterea his versibus adhibitae sunt emendationes, pariterque Brunckii commenta, quippe ratione destituta omni, refutare nihil attinet. Denique, ut hoc addam, versus hosce ad Philoxenum spectare, ex verbis a nobis electis colligi potest. —

* * *

Chironis nomine declaratum est antiquitus praeceptoris munus, in genere spectatum; nam etsi Achillem venatu, fidibus, palaestra et herbis tantummodo ab Chirone institutum tradunt, quode cfr. Heinrichium in Demonstrat. loc. Plat. e Protag. p. 23. ann., ipsos tamen veteres Chironis doctrinam his non continuisse finibus, versus docent ex Χείρωνος ὑποθήκαις, citati scholiastae ad Pindar. Pyth. VI, 19., sicque emendatius scripti ab Heinrichio l. c. p. 22.:

Εὖ νῦν τοι τάδ' ἕκαστα μετὰ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν
φράζεσθαι· πρῶτον μὲν ὅτ' εἰς δόμον εἰσαφίκηαι
ἔρδειν ἱερὰ καλὰ θεοῖς ἀειγενέτῃσιν.

Quocirca cuius quoque loco rei praeceptor indicetur Chironis nomine, sententiarum cohaerentia ostendatur oportet, velut cum Plato comicus apud Plutarchum vit. Pericl. c. 4. faciat quaerentem aliquem ex Damone musico:

Πρῶτον μὲν οὖν μοι λέξον, ἀντιβολῶ. σὺ γὰρ
ὥς φασιν, ὦ Χείρων, ἐξέθρεψας Περικλέα;

musicae doctorem significari patet. Versu altero Schaeferus secundum quaedam exempl. ὥς φησιν, ὁ Χείρων substituit, quod longe praestat Lucae commento, prodito in Obss. ad Cratin. p. 9., ὥς φησιν, ὦ Χείρων, ἔθρεψας —. Sed equidem fere adducor, ut ὦ illud ex ὡς, quod appositionis declarandae gratia additum est, ortum existimem; de quo infra explicatius dicetur.

In Cratini autem Chironibus Solonem scimus ab inferis excitatum et in scenam productum fuisse, teste Diogen. Laert. vit. Solon. §. 62.: ἐν τοῖς Χείρωσί φησιν, αὐτὸν (τὸν Σόλωνα) ποιῶν λέγοντα

Οἰκῶ δὲ νῆσον, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος,
ἐσπαρμένος κατὰ πᾶσαν Αἴαντος πόλιν.

Nec vero credibile est, comicum aut tanto apparatu usum fuisse, ut vel ex Plutonis ditione aliquem arcesseret, aut tantum arcessivisse virum, quin praecipuas ei quasdam in hac fabula partes attribueret. Solonem autem, qui Athenienses ad morum probitatem, cupiditatumque moderationem suis legibus astrinxerit, praeter ceteros dignum Chironis nomine esse verissimoque ὑποθηκῶν nomine eius nuncupari θεσμοὺς, in oculos incurrit. Sed praeter Solonem praeceptores populi Attici maxime haberi possunt Draco et Clisthenes. Itaque non dubium videtur, quin versus apud Hephaest. I, 3.:

σκῆψιν μὲν Χείρωνες ἐλήλυμεν, ὡς ὑποθήκας —

ab Solone dictus sit, quo finis migrationis susceptae declararetur; sic enim versus interpretandus est: *ad speciem nos Chirones advenimus eo fine, ut* —, cfr. Meinek. Comm. Miscell. p. 7. ann. 2. Praetexebant enim Chirones fortasse quandam legum suarum δοκιμασίαν; quod ut fingeret, facili potuit quotanni legum censura poeta adduci. Sed verus migrationis finis in eo videtur positus fuisse, ut civium tunc temporis et probitatis laude florentium, et sceleribus obrutorum quasi quaedam censura fieret, bonique confirmarentur et castigarentur improbi; cuius rei quae videntur indicia reperiri, deinceps nunc persequemus.

Itaque tres homines scelerati ad rerum navalium iudices abducuntur, Pisias, Osphyon et Diitrephes, teste schol. ad Aristoph. Aves 766., qui citat ex Chironibus haec:

Καὶ πρῶτον μὲν παρὰ ναυτοδικῶν ἀπάγω τρία κινώδαλ' ἀναιδῆ
Πισίαν, Ὀσφύωνα, Διτρέφη.

Primo versu πρῶτον scripsimus pro vulgato πρῶτα, secuti emendationem Porsoni Advers. p. 252. Lips. Sed tria illa nomina propria nequeunt ullo modo ad numerum anapaesticum accommodari, cum praesertim altera syllaba in Διτρέφης producatur, v. Elmsl. ad Medeam v. 326. ann. Itaque cum nulla sit causa, cur vel Ὀφρύωνα vel Διτρέφη corruptum habeatur, a scholiasta arbitror haec nomina profecta esse, qui, quae apud Cratinum in aliis versibus, iambico vel trochaico metro scriptis, tradita essent, coniuncta hic adiiceret.

Tum Pandeletum commemoratum fuisse, schol. ad Nubb. 923=919. tradit, qui συκοφάντης ἦν καὶ φιλόδικος, γράφων ψηφίσματα; dignus utique, quem Chirones ulciscerentur.

Porro philosophos et Socraticos quidem castigatos esse ex versibus coniicias, cum alibi, tum apud schol. Platon. p. 331. Bekk. servatis: Ῥαδαμύνθυνος ὅρκος οὗτος ὁ κατὰ κυνὸς ἢ χηνὸς ἢ πλατάνου ἢ κριοῦ ἤ τινος ἄλλου τοιούτου,

> οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λήγῳ κύων
> ἔπειτα χήν· θεοὺς δ' ἐσήγων,

Κρατῖνος Χείρωσι. — τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ Σωκράτους ὅρκοι. Ad eosdem pertinet versus ap. schol. Platon. p. 358.: Κρατῖνος δὲ Χείρωσι χαριέντως ὁμοῦ ἐγκαταμίξας καὶ τὴν ὄνος λύραν παροιμίαν ἔπλεξε τὸν λόγον οὕτως

> ὡς ὄνος ἀπωτέρω κάθηται τῆς λύρας.

κάθηται enim recte scripsit Runkelius pro κάθηνται. Hoc quid valeat, ex docta schol. Clarkiani annotatione perspicitur. Pueri enim, qui pilae ludo victores extiterunt βασιλεῖς, contra, qui superati erant ὄνοι καθῆσθαι dicebantur. Victum autem puerum non hilari fuisse fronte, facile intelligitur. Sed praeterea idem schol. auctor est, poetam proverbium spectasse: ὄνος λύραν, quod dicitur secundum Lexicographos ἐπὶ τῶν μὴ ξυγκαταθεμένων, μηδὲ ἐπαινοῦντων, eiusque originem Suid. s. v. ὄνος πρὸς αὐλόν sic signi-

ficavit: διὰ τὸ παντελῶς ἀναίσθητον τὸν ὄνον. Quocirca hoc versu ostensus videtur aliquis, qui ab hominum societate seiunctus, tristis in tristibus sese defixit cogitationibus; qualem statum fuisse et consuetudinem multorum Socraticorum, in vulgus notum est. Sed hoc cuiusmodi est, certe musicam esse perstrictam in Chironibus, ex illo proverbio colligi nequit.

Sed notata musicae depravatio alio videtur versu esse apud schol. ad Vespp. 1277.=1231.: Ἁρμόδιος (?) δὲ ἐν τοῖς κωμῳδουμένοις καὶ τὸν Ἀδμητον (scr. Ἀδμήτου sc. λόγον) ἀνάγει, γραφὴν παραθεὶς Κρατίνου ἐκ Χειρώνων

Κλειταγόρας ᾄδειν, ὅταν Ἀδμήτου μέλος αὐλῇ.

contraque eiusdem vis insignis, ad morum emendationem pertinens, celebrata fragmento apud schol. Thucyd. VIII, 83., qui sic commentatur. τὸ ἐπιφέρειν ὀργὴν ἐπὶ τοῦ χαρίζεσθαι καὶ συγχωρεῖν ἔταττον οἱ ἀρχαῖοι· μάρτυς Κρατῖνος ἐν Χείρωσι λέγων τὴν μουσικὴν ἀκορέστους ἐπιφέρειν ὀργὰς βροτοῖς σώφροσι. In Cratini verbis redintegrandis post alios, qui nihil profecerunt, Lucas ille versatus est l. c. p. 6., versumque procudit hunc:

Ἡ μουσικὴ
ὀργὰς ἀκορέστους ἐπιφέρει τοῖς σώφροσιν
βροτοῖς.

At vocabulum σώφρων nunquam in eam partem accipitur, ut declarentur, qui alicuius scientiae vel artis cognitione excellunt, quemadmodum Lucas voluit musicae peritos significari, sed ad eos pertinet usquequaque, qui vero et simplici utuntur iudicio; cuius cum primarius sit usus in vita recte temperanda positus, maxime moderatos homines σώφρονας dici in aperto est. Quodsi prior pars sententiae incorrupta esset, in suspicionem tamen incurreret propter haec ultima verba. Quid enim? nonne antiquitus evenit, et nunc quotidie videmus evenire, ut homines parum mo-

derati maxime delectentur musica? Tenendum est autem, locutionem ὀργάς vel ὀργὴν ἐπιφέρειν, singularis enim in hac locutione aeque probus ac pluralis, nunquam tantundem posse valere atque oblectationem praebere. Quoniam enim ὀργή vel ὀργαί in cuiusque animo cernuntur, moveri et excitari possunt ab alio vel alia quadam re, afferri non possunt; quod si esset, extrinsecus ὀργαί petendae forent. Tum incredibilis quaedam scholiastae stultitia esset, qui cum naviter Thucydidis verba intellexisset, essetque interpretatus hanc locutionem verbis χαρίζεσθαι, συγχωρεῖν, exemplum prorsus alienum addiderit; id quod, etsi ceteroqui scholia ad Thucydidem non optima sunt, a docta annot. ad h. l. abhorrere videtur. Dein, si Cratini verba essent, qualia ab Luca constituta sunt, haud facile dixeris, quo consilio schol. verborum perspicuorum collocationem simplicissimam immutarit. Cum igitur verba: ἐπιφέρειν ὀργὰς βροτοῖσι σώφροσι nihil aliud valere possint, nisi: voluntatem accommodare ad homines temperatos h. e. obsequi hominibus temperatis, et nota sit musicae vis in eo posita, ut homines rudes et nefarii mansuetiores reddantur, et a cupiditatum intemperantia ad sobrietatem reducantur, Cratini verbis hoc significari videtur: musica effici, ut homines intemperantes obsequantur hominibus temperatis, atque a scholiasta scriptum esse: λέγων τῇ μουσικῇ ἀκορέστους vel ἀκολάστους ἐπιφέρειν ὀργὰς βροτοῖσι σώφροσι. Sed versum Cratini quomodo refingerem, nondum repperi; priora enim verba scholiasta videtur ad suam rem accommodasse.

Denique veri est simile Periclem, principem id aetatis virum et a Cratino saepissime perstrictum, in hac fabula exagitatum esse; nec leniter carpitur versibus, qui apud Plutarchum extant, vit. Pericl. c. 3. Τῶν δὲ κωμικῶν, Plutarchus ait, ὁ μὲν Κρατῖνος ἐν Χείρωσι, στάσις δέ, φησί, καὶ πρεσβυγενὴς Κρόνος ἀλ-

λήλοισι μιγέντε μέγιστον τίκτετον τύραννον, ὃν δὴ κεφαληγερέταν θεοὶ καλέουσι. Ita haec scripta extant in exempl. Teubneriano; sed Κρόνος utrum librorum auctoritate niteretur, an Runkelii coniectura, non annotatum est. Incredibilia autem de his versibus commentus est Lucas, tum in Dissert. de Cratino et Eupol. p 40., tum in Obss. ad Cratin. p. 8. Verum ad eundem haec numerum pertinere, quo fr. VI. ap. Runkel. scriptum est, plane monstrant ultima verba, atque, si uno quodam loco quaedam intercidisse statuantur, facillime ad eum accommodantur omnia hoc modo:

στάσις δέ
καὶ (Ἰο. χώ.) πρεσβυγενὴς Χρόνος ἀλλήλοισι — υ — υ
— — υ μιγέντε μέγιστον τίκτετον τύραννον,
ὃν δὴ κεφαληγερέταν θεοὶ καλοῦσι [πάντες].

Interciderunt enim verba, quibus locus aut ratio, qua sese miscuerunt, describebatur. Coniungitur autem his versibus Pericles ita cum Iove, ut quasi una videatur utriusque persona esse; itaque, quod Στάσις mater dicitur esse, et in Periclem, et in Iovem convenit. Rectissime enim Areopagi auctoritatem Periclis opera imminutam, Cimonemque urbe expulsum, tanquam στάσιν Periclis significari Lucas censet Obss. in Cratin. p. 10. Verum quid Χρόνος πρεσβυγενὴς ad Periclem faciat, non reperio; quanquam certam quandam rem a Cratino spectatam arbitror. Neque enim Cunctatoris filius declarari potest, quod Lucas voluit, vel propter attributum πρεσβυγενής, quod hoc pacto sua destitutum esset vi. Tum vocabulo κεφαληγερέταν unumquemque patet cogitatione ad νεφεληγερέτην adduci.

Hoc igitur modo cum rei publicae status depravatus perstringeretur, saepius priorum temporum consentaneum est laudes celebrátas esse. Itaque summo pristinae felicitatis desiderio dicta sunt, quae conservavit Grammaticus apud Bekkerum Anecd. I. p. 335. l. 12. sqq.: Ἄγανον. καλόν. ἡδύ. — Κρατῖνος Χείρωσι. μακάριος ἦν ὁ πρὸ τοῦ βίος βροτοῖσιν πρὸς τὰ νῦν, ὃν εἶχον

ἄνδρες ἡδυλόγῳ σοφίᾳ βροτῶν περισσοπαλλεῖς. Verbis ἡδυλόγῳ σοφίᾳ gnomica ostendi videtur poesis, qua vitae morumque doctrina continebatur, longe diversa illa a Physicorum philosophia, Cratini aetate Athenis florente. Atque illa quidem in Solonem cadit; contra Periclis leges scoliis comparantur convivalibus, ap. Aristoph. Acharn. 507. Dind. Lucas autem, quod musicam σοφίας vocabulo significari arbitratur p. 9., non attendit ad attributum ἡδυλόγῳ, quod ad musicam pertinere nequit. Sed quod ad versuum dispositionem attinet, Runkelius iambicos tetrametros confecit hos:

Μακάριος ἦν
ὁ πρὸ τοῦ βίας βροτοῖσι πρὸς τὰ νῦν ὃν εἶχον ἄνδρες
ἀγανόφρονες ἡδυλόγῳ σοφίᾳ βροτῶν περισσοπαλλεῖς.

Sed tetrametrum, qualis alter est, a veterum comicorum arte nimium quantum abhorrere, in propatulo est. Constat enim, tetrametrorum gravitatem frequentes syllabarum longarum solutiones et anapaestorum usum respuere. Nos etsi prosodiacum numerum his quoque versibus adhibendum suspicamur, noluimus tamen, quae nobismet ipsis nondum satisfacerent, in medium proferre.

In eandem sententiam dicti sunt versus apud Athen. XII. p. 553. E.: Κρατῖνος δ' ἐν Χείρωσι τὴν τρυφὴν ἐμφανίζων τὴν τῶν παλαιτέρων φησίν

Ἁπαλὸν δὲ σισύμβριον ἢ κρίνον παρ' οὖς ἐθάκει,
πικρὰ χερσὶ δὲ μῆλον ἔχων σκίπωνά τ' ἠγόραζον.

In libris repertum est: σισύμβριον ῥόδον ἢ κρίνον, quod Hermannus Elem. Doctr. Metr. p. 593. optime emendasse videtur scribendo: σισύμβριον ἢ ῥόδον —. Nam cur ῥόδον eiiciatur, quod cum Porsono et Elmsleio Dindorfius fecit, praeter metri rationem causa est nulla; metro igitur lenissima via emendato, illud vocabulum retinendum est. Conferendi autem sunt Nubb. verss. 910. 911. Reis., ubi argute ῥόδον et κρίνον Iniustus usurpat. Verum quod idem Hermannus ἁπαλὸν δέ in θἁπαλόν τε et ἠγόραζον in ἠγόραζεν convertit, prius

falsum est, quoniam articuli nullus hic locus, alterum plane supervacaneum. Scribendum est igitur, quoniam longa requiritur syllaba:

Χἀπαλὸν δὲ
σισύμβριον ἢ ῥόδον ἢ κρίνον παρ' οὓς ἐθάκει
παρὰ χερσὶ δὲ μῆλον ἔχων σκίπωνά τ' ἠγόραζον.

Pergit enim, quisquis est, in enumerando veterum ornatu. Sed quod Athenaeus vitam delicatam antiquiorum his versibus describi tradidit, antiquorum intelligenda est vita delicata, minime delicata illa, si cum Cratineo tempore conferatur. Flore autem simplici eidem fortasse caput ornabant, qui τεττιγοφόροι erant; cicadarum vero usum non dia ante bellum Peloponnesiacum antiquatum esse, Thucydides testatur libro I. c. 6.

Sed postquam hoc modo castigarunt Chirones homines improbos et inutiles, eosdem credibile est antea, quam ad Plutonem redirent, unum quendam; cui salus civitatis committeretur, elegisse. Atque hunc fuisse coniicio Periclem, licet ante acerbe notatum eumnaxime. Extat enim versus ex Chironibus apud schol. ad Sophocl. Oed. Col. 477., sic annotantem: καὶ οἱ τοὺς καθαρμοὺς δὲ ἐπιτελοῦντες πρὸς τὴν πρώτην ἕω ἵστανται. Κρατῖνος ἐν Χείρωσι

Ἄγε δὴ πρὸς ἕω πρῶτον ἁπάντων ἵστω καὶ λάμβανε χερσὶν σχῖνον μεγάλην.

Etenim cum Pericles propter capitis longitudinem et deformitatem dictus sit σχινοκέφαλος, v. Plutarch. vit. Pericl. c. 3. et 13., hunc suspicor lustratum esse, et eo quidem fine, ut post, abiectis moribus pristinis, civitati bene consuleret.

Grandi igitur fortique consilio poeta, quantum quidem ex fragmentis colligere licet, non unum alterumve vellicavit civitatis Atticae vitium, sed universae potius complexus est rei publicae depravationem. Atque ad tantam fuisse rei gravitatem et inventionis arte et

dictionis praestantia fabulam accommodatam, consectarium videtur esse ex Aelii Aristidis quodam testimonio, significatum a Luca l. c. p. 11. Commentatur enim pusilli homo animi de comicorum arrogantia sic, T. II. p. 386. 387. Iebb.: καί τις αὐτῶν (τῶν κωμικῶν) ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος μεγαλαυχούμενος, ὡς προφήτης, προαγορεύει τοιάδε.

ἀφυπνίζεσθαι χρὴ πάντα θεατήν,
ἀπὸ μὲν βλεφάρων αὐθημερινῶν ποιητῶν λῆρον ἀφέντα

ὥσπερ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ μέλλων ἅπαντας σοφούς τε καὶ σπουδαίους ποιήσειν. διδάξας δὲ τοὺς Χείρωνας προσπαραγράφει πάλιν αὖ μάλα ὑπερηφάνως ἐπὶ τελευτῆς·

ταῦτα δυοῖν ἔτοιν ἡμῖν μόλις ἐξεπονήθη·

τοῖς δ' ἄλλοις ἐν ἅπαντι βίῳ προτιθέναι φησὶ ποιηταῖς, μιμεῖσθαι δηλονότι, ὡς οὐδένα ἐφιξόμενον. Tres Cratini versus citari arbitratur Lucas l. c., et, ut postea vidi, Guil. Dindorfius. At verba διδάξας δὲ τοὺς Χείρωνας, qualia nunc leguntur, ineptissima omnium sunt; nihil enim aliud eis declarari potest, nisi quod post dicitur: ἐπὶ τελευτῆς; itaque alterutrum praetermitti debebat. Verum, etiamsi abessent verba: ἐπὶ τελευτῆς, absurdum foret dicere: διδάξας τὸ δρᾶμα προσπαραγράφει. Tum risum moveret sophista, quanquam non ignoro, ineptas istum elegantias consectari, si primum versibus quibusdam comici citatis hoc modo: καί τις αὐτῶν, adderet post demum alii cuidam versui poetae vel fabulae adeo nomen, ad quam item priores pertinerent. Scribendum est autem sine ulla dubitatione: ὁ διδάξας δὲ τοὺς X., quo Cratinum significari, admodum veri est simile; priores autem versus alius cuiusdam sunt. Sed hoc plane fugit Lucam, priorem anapaestum caesura carere, quod perspexit Guil. Dindorfius. Corrigere licet:

ἀφυπνίζεσθαι καὶ δὴ χρὴ πάντα θεατήν.

uti ap. Aristoph. Eccles. 608. dictum est: ἀλλ' οὐ μίλ-

λειν, ἀλλ' ἅπτεσθαι καὶ δὴ χρὴ ταῖς διανοίαις. Dindorfius autem νῦν δή supplendum censuit. Sed quod idem ex cod. Laurent. memoria: ἀπό θ' ἡμερίνων corrigi voluit pro ἀπὸ δ' ἡμ., vocabulum, fortasse ὄπαξ εἰρημένον, sed recte et significanter formatum, ita emendavit, ut sententiam acutissimam plane perverteret. Elegantissime enim finxit comicus, ineptiis poetillarum, quales egregie Aristophanes descripsit Ranis 92. sqq., quasi somno palpebras esse auditorum compressas; hunc igitur discuti oportere. Quod ad tertium versum attinet, Cratinum hexametros composuisse, quales Lucas opinatur, non credibile est; succurrit Dindorfius, ἐν post δυσὶν addendo. Sed chorum in fine fabulae hexametris dactylicis usum esse, vix mihi persuadeo. Videntur potius intercidisse quaedam, et tetrameter anapaesticus a poeta profectus esse, qualis hic est:

καὶ μὴν ταιαῦτα δυσὶν μὲν ἔτοιν ἡμῖν μόλις ἐξεπονήθη.

Μέν frequenter a scribis praetermissum esse; Porsoni annott. docent ad Aristoph. Aves 434., Elmsleiique ad Acharn. 142.; contra perperam est additum alibi, velut ap. Antiphanem Athen. VII. p. 304. init., ubi recipiendum erat verissimum Meinekii supplementum.

Summam igitur se operam ipse gloriatur poeta fabulae perpoliendae et absolvendae impertivisse.

Haec habuimus, quae de Chironum argumento et conditione coniiceremus. Sed longe aliam viam Lucas ingressus est in dissertatione saepius commemorata. Cuius viri opinionem etsi facili negotio funditus licet evertere, pleneque demonstrare, quomodo fere singulis fragmentis abusus sit, nunc satis habemus, principia argumentandi significasse. Nempe *in plurimis veterum comicorum fabulis Chironis nomine inscriptis musicam in primis ansam iocandi obtulisse; ex Cratini Chironibus autem eodem pertinere* fragmen-

ta ap. Runkel. XII. XIX. XIV. XV. II. Sed de fragm. II. et XV. supra dictum est; pariterque fr. XIX. proverbium: μετὰ Λέσβιον ᾠδόν ad omnes spectat, sive musicos, sive non musicos, qui in sua arte negotiove alii cuidam postponuntur; restant igitur fragmenta ea, quibus suum locum attribuimus. Praeterea *Periclem vehementissime in hac fabula exagitatum esse et fortasse primarium cavillationis argumentum obtulisse.*

CAPUT III.

Definitur annus et festum, quibus Lysistrata acta est, et annus Thesmophoriazusarum.

Quae de anno, quo Lysistrata docta esset, olim proditae sunt Petiti Palmeriique coniecturae, valde re ipsa discrepantes et natura sua, satis tribus nunc confutantur testimoniis, a Kustero primum prolatis, fragmento quodam didascaliae apud scriptorem argumenti: ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, τοῦ μετὰ Λεώκριτον (h. e. Κλεόκριτον, cfr. Corsin. Fast. Attic. III. p. 251. 252.) ἄρξαντος, et scholiis ad v. 173. — ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, ἐφ' οὗ εἰσήχθη τὸ δρᾶμα·, et ad v. 1096.: παρόσον οἱ Ἑρμοκοπίδαι ἠρωτηρίασαν τοὺς Ἑρμᾶς, ὅτε ἐπὶ Σικελίας ἔμελλον πλεῖν πρὸ ἐτῶν τεσσάρων τῆς καταθέσεως τούτου τοῦ δράματος. Et haec quidem documenta plane confirmari eis, quae de historico genere in hac fabula commemorantur, facili negotio ostendi potest.

Sed alteram quaestionem, quae de festo fabulae est, nostra memoria attigit Suvernius in Comment. de Aristoph. Nubb. p. 43. sqq., versibus fabulae usus 490. 491.:

ἵνα γὰρ Πείσανδρος ἔχοι κλέπτειν χοἱ ταῖς ἀχαῖς
ἐπέχοντες
ἀεί τινα χορχορυγὴν ἐκύκων.

et post eum Guil. Dindorfius in Addend. ad Aristoph. Fragm. p. III. in. Pisandrum enim, ille ait, ut popularе imperium tollendum curaret, bis Athenas venisse, et primum quidem Posideone aut Gamelione ineunte; inter Posideonem autem et Elaphebolionem, quo Qua-

dringenti constituti sunt, Pisandrum isto modo probabile esse ab Aristophane perstringi; Lenaeis igitur fabulam videri doctam esse. At vero quod Pisandrum censet Posideone vel Gamelione ineunte Athenas venisse, cuius rei auctorem citat Dodwellum in Annal. Thucyd., in eo vehementer fallitur. Licet enim rerum gestarum ordinem accurate secundum Thucydidem declarare. Itaque XXVII naves Spartanorum hieme anni primi Ol. XCII. περὶ ἡλίου τροπάς ex Laconica in Asiam navigantes, primum ad Melum insulam appulerunt, post Caunum tenderunt, v. Thucyd. VIII, 39; ἡλίου autem τροπαί illae incidunt, uti recte censuit Dodwellus, in penultimum vel ultimum Posideonis diem. Quot dies insumpserint in hoc itinere, haud sane constat, sed veri tamen simillimum est, complures fuisse. Nam, ut exemplo res illustretur, Thucydides quendam Athenis tradit tribus diebus Mitylenen profectum esse, libr. III. c. 3., et, ut hoc addam, Creta unius diei itinere a Laconica distabat, teste Scylace s. v. Κρῆτα. Quocirca, quin Gamelione demum Caunum pervenerint, dubitari nequit. Cuius rei nuncio accepto Astyochus, dux Spartanorum, qui ad Miletum constiterat, Caunum navigavit, ubi tamen insula in itinere direpta, et pugna cum Charmino, Atheniensium imperatore, commissa. Tum, utraque classe Peleponnesiorum ad Cnidum coniuncta, de foedere cum Tissapherne ita agitur, ut tandem iratus discedat. Quo facto, Rhodum sese conferunt Lacedaemonii αὐθὶς ἐν τῷ αὐτῷ χειμῶνι, ibique ἡσύχαζον ἡμέρας ὀγδοήκοντα, ἀνελκύσαντες σὺς ναῦς, capp. 40—45. Haec omnia, quorum alterum ex altero nexum est, si fere decem diebus facta esse statuimus, haud facile cuiquam nimium quiddam ponere videamur. Nam ut tam paucis diebus ea paracta censeamus esse, faciunt LXXX illi dies, quos Rhodi commorati sunt Spartani; quoniam enim paullo ante aestatem Rhodum reliquisse dicuntur, v. cap. 60. coll. 61. in., spatium istud LXXX dierum, etiamsi ab ultimo Ela-

phebolionis incipiatur, ita tantum expletur, ut ad priorem partem usque Gamelionis pertineat. Sed postquam Thucydides classem Lacedaemoniorum Rhodum navigasse exposuit, cap. 45. in. addit: ἐν δὲ τούτῳ καὶ ἔτι πρότερον, πρὶν ἐς τὴν Ῥόδον αὐτοὺς ἀναστῆναι, τάδε ἐπράσσετο. Alcibiadem enim, post Chalcidei mortem (v. cap. 24. Ol. XCII, 1. in.) vehementer Spartanis suspectum, ut de medio tolleret, Astyocho epistola quadam mandatum fuisse; quo comperto, Alcibiadem primum ad Tissaphernem se recepisse, deinde consilia ei suppeditasse Spartanis infesta. Quae si diligenter expendantur, quid verba: ἐν δὲ τούτῳ καὶ ἔτι πρότερον e. q. s. valeant, facile intelligitur. Apertum est enim, litteras supra commemoratas ipsa illa classe XXVII navium ad Astyochum missas esse, et proinde ad eum pervenisse primis Gamelionis diebus; post ab Alcibiade, quid eis contentum esset, intellectum, fugaeque consilium captum. Sed mirum videatur, quod Alcibiades, cum Lacedaemonios fugeret, ad Tissaphernem, Lacedaemoniorum amicissimum, sese converterit. Atqui cum iratus discesserit Tissaphernes a Lacedaemoniis paullo ante, quam Rhodum navigarunt Lacedaemonii, Alcibiadem patet confugisse ad Tissaphernem, iratum Lacedaemoniis, itaque circ. X Gamelionis diem, Et hanc quidem rerum cohaerentiam probe perspexit Dodwellus ad. cap. 45. p. 710. Beck.

Sed consilia Alcibiades Lacedaemoniis perniciosa Tissapherni dedit, tum gratificaturus regi et Tissapherni, tum sibi reditum in patriam paraturus; pristinum enim Athenienses odium remissuros esse, ubi gratia apud Tissaphernem floreret. Itaque exercitum in Samo insula adhortatur, ut se ipsum reducendum curet, statumque popularem abrogandum; hoc enim se pacto regem eis conciliaturum esse, cap. 47. Quocirca legati mittuntur ad Alcibiadem, quibus de consilii veritate et utilitate persuadet. Abs quibus, Samum reversis, cum res exposita et probata omnibus esset, uno excepto

Phrynichó, cap. 48., constituunt Athenas Pisandrum aliosque legare, cap. 49. His rebus quantum temporis tribuendum sit, dubium videatur necesse est, quoniam nec tenuissimum temporis extat indicium. Verum cum exiguum sane tempus homines, qualis Tissaphernes fuit, negotiis soleant impendere, consultationibus vero, quarum multi participes sunt, conteri multum, tum re in utramque partem consideranda, tum variis variorum sententiis componendis, octo vel decem dies facile nobis largiare consumptos esse. Pervenimus igitur ad tertiam fere partem Gamelionis.

Deinceps, ut antea constitutum est, Pisander Athenas se confert, cap. 53. Athenae autem Samo absunt circiter M stadiis, quae duobus diebus pernavigari possunt. At illic quidem paullo impeditior navigatio erat propter insulas multas interiacentes, quae quantum officiant navigandi facilitati, satis notum est. Atque iter in hac ipsa regione non solitum esse celeriter confici, ex alia quadam re colligere licet. Nam cum Pisander secundum Athenas proficisceretur, mandatum est ei, ut in urbibus subditiciis, ad quas appelleret, paucorum imperium constitueret: τῶν ὑπηκόων πόλεων, αἷς ἂν προσίσχωσιν, ὀλιγαρχίαν καθιστάναι, cap. 64. Etenim animus attendendus est eo, quod non dictum est: τῶν ὑ. π., αἷς ἂν παραπλέωσι, προσίσχειν κτλ.; itaque usu videtur venisse, ut in hoc ipso itinere ad hanc illamve insulam appellerent, qua quidem re necesse est admodum retardata sit navigatio. Eodem pertinet, quod legati, a CCCC Samum missi, Deli commorati sunt, v. cap. 77. Quocirca, quoniam III vel IV. dies itineri tribuere licebit, circ. XXIV Gamelionis die Athenas pervenisse Pisander putandus est.

Itaque quod Suvernius de Posideone vel initio Gamelionis contendit, prorsus refutatum videtur. At, inquit, cum Lenaea quo die acta sint, nesciamus, potuerunt in extremum mensis diem incidere, et proinde fabula post adventum Pisandri doceri. Potuit sane illud

fieri; sed da, quaeso, fabulamne Aristophanes post adventum Pisandri composuit, an priore tempore? Illud si statuas, multum hercle tribuis Aristophani, quamvis ingenioso homini, qui intra paucos dies fabulam scripserit elegantissimam, versuumque concinnitate insignem, qui eandem histriones docuerit, chorego praeterea intra idem tempus constituto et choro erudito. Deinde, quam Aristophanem arbitrare gratiam initurum fuisse, si eo ipso tempore, quo Athenae maximis, ut cum Velleio loquar, concussae erant motibus, hanc docuisset fabulam? Putasne populum unum omnium libertatis studiosissimum, cum in discrimen vocaretur libertas diu conservata, consilio quodam ioculari, quo finis bello imponendus esset, humaniter delectatum fuisse? At fabulam diu conscripserat Aristophanes; addidit post Pisandri adventum hos versus, in quibus carpitur. Ne hoc quidem fieri potuisse, infra apparebit.

Quamobrem Lenaeis Pisander propterea, quod populare imperium infringere studeret, non potuit perstringi. Quod cum demonstratum sit, supersedemus alia, de quibus minus recte a Suvernio expositum est, refellere. Quid igitur? ad Dionysia urbana referamusne Lysistratam? an doceri Anthesteriis potuit?

Sed quoniam hanc Anthesteriorum mentionem iniecimus, commentandique genus nostrum liberum quoddam est neque certis finibus circumscriptum, licebit strictim, utrum Anthesteria fabularum actione celebrata videantur necne, hoc loco exponere. Etenim cum Hermannus in censura libri illius Kannegiesseriani Anthesteriis coniecisset fabulis in concione quadam recitatis poetas certasse, secutus narrationem, quae de morte Sophoclis extat apud Scriptor. Vitae Sophocl., studiose hoc Boeckhius in Comment. de festis Bacchicis suscepit, confirmavit et de sua sententia emendavit. Admodum enim videri memorabile, quod tragoediae recitatae esse narrentur, neque hoc ab scholiasta quopiam, sed ab Satyro Peripatetico memoriae proditum

esse. Enimvero Satyri istius ne tantillo quidem gravior auctoritas est, quam scholiastae levissimi. Documentum in promptu est aptissimum et luculentissimum. Nempe ridiculum illud commentum, quo Sophocles, παραvοίας accusatus, coram iudicibus Oedipum Coloneum praelegisse dicitur, Vit. Sophoclis p. XIX. ed. Gaisf. Lips., ad Satyrum refertur auctorem. Nec vero, ut Satyri narrationem, ceteroqui plane incredibilem, veram concedamus esse, quanquam non concedimus, illa tam admirabilis videtur praelectionis commemoratio, quippe a Satyro profecta. Ptolemaeorum enim aetate, qua artes, a vitae societate seiunctae, in museorum umbra delituerunt, istiusmodi praelectiones, coram amicis habitas, verisimile est frequenter usu venisse; itaque facile Satyrus potuit suae aetatis consuetudinem ad Sophoclem transferre. Quanquam errorem Satyri, cum quo Anonymi quidam in Vit. Sophocl. p. XX., quod ad recitationem attinet, facere videntur, etiamsi isto explicare modo non liceret, fides tamen ipsius plane labefactaretur trium historicorum testimoniis, Istri, Neanthis in Vit. Sophocl. p. XIX., et Diodori, qui a Satyri memoria discedunt omnes, licet etiam inter se discrepare videantur. Narratio autem Diodori, libr. XIII. c. 103. ita referentis: Φασὶ δὲ τὸν ἄνδρα τοῦτον (Sophoclem) τὴν ἰσχάτην τραγῳδίαν εἰσαγαγόντα καὶ νικήσαντα χαρᾷ περιπεσεῖν ἀνυπερβλήτῳ, δι' ἣν καὶ τελευτῆσαι, egregie sua commendatur simplicitate, atque Anonymorum, quos supra commemoravimus, consensu confirmatur; quod enim mortis causam in recitatione (ἀναγνώσει) fabulae cuiusdam positam tradunt, facile oscitantia quadam legendi verba εἰσαγαγόντα et ἀναγνόντα confundi potuerunt; nam ad Diodori potius auctoritatem quod Anonymos istos accommodari volumus, quam invicem, nemo hercle mirabitur. Itaque solus nunc restat recitationis istius auctor Satyrus, quem quominus eodem modo, quo Anonymos, errasse statuamus, nihil profecto impedit.

Opinio igitur Boeckhii, qua Anthesteriis esse recitatae tantummodo fabulae videbantur, omni destituta fundamento est. Nec magis probabile illud est, cuius causa praelectiones istae habitae videbantur. Eidem enim Hermanno, cum tentatos eis poetas esse suspicaretur, ita Boeckhius assensus est, ut non in privatorum id hominum iudicio existimaret, sed in publica auctoritate positum fuisse. Nec potuit unquam, mea sententia, Athenis eiusmodi res de privatorum quorundam iudicio vel institui, vel administrari, nedum festis quibusdam diebus, qui omnium communes essent. Sed ad tentationem poetarum Lycurgi legem non spectasse, planissime commonstrari potest. Cum enim, quae in Vita Lycurgi leguntur, T. II. p. 841. F. Frcf. εἰσήνεγκε δὲ καὶ νόμους, τὸν περὶ τῶν κωμῳδῶν, ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλύγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξὸν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα, ad suam sententiam referant, necessario consequitur Chytris a complúribus semper poetis tamdiu certatum esse, donec numerus poetarum aut trium aut quinque, qui Dionysiis suas fabulas docerent, conficeretur; plane enim scriptum est τὸν νικήσαντα nec τοὺς νικήσαντας. At hoc eccui credibile videtur? Deinde, quia renovavit Lycurgus hoc certaminis genus, antea extiterit oportet; traditur autem aperte, antea Chytrorum victorem non admissum ad Dionysia esse; ad quem igitur finem tentabantur poetae Chytris? Quanquam Boeckhio l. c. p. 103. verba πρότερον οὐκ ἐξὸν eo placuit detorquere, ut peregrinis, ubi victoriam Chytris reportassent, Dionysiis licuisse fabulas docere negaret; iam hoc Lycurgum concessisse; ceteris etiam ante Lycurgum licuisse.

Verum enim vero haud sane incerta sunt, quibus actas esse aliquando Anthesteriis fabulas commonstrare licet. Nam quod a Suid. s. v. τὰ ἁμαξῶν σκώμματα proditum est: Ἀθήνησι γὰρ ἐν τῇ Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἐσκωπ-

τόν τε καὶ ἐλοιδόρουν. τὸ δ' αὐτὸ δὲ καὶ τοῖς Ληναίοις ὕστερον ἐποίουν, quodque, ut ex Lenaeorum comparatione intelligitur, ad antiquissima pertinet tempora, ita comparatum est, ut initia et incrementa comoediarum Anthesteriis antiquitus extitisse pateat. Ex quo, etiamsi actaene essent posteriore tempore Anthesteriis fabulae necne, prorsus nesciremus, satis certo actas esse colligeretur. Nam si nullum superesset testimonium scriptoris cuiusdam de hac re; ex hoc quidem silentio nihil plane consectarium foret. Quid enim? mirumne videatur, si Dionysiorum et Lenaeorum splendore et magnificentia in hoc genere alius cuiusdam festi memoria plane obscurata fuerit? At vero documentum habemus grave, si quod, fideque dignum ex vita Lycurgi, quod modo transcripsimus. Verba τοῖς Χύτροις ad tempus certaminis spectare, neque cum ἐφάμιλλον coniungenda esse, abunde a Boeckhio contra Hermannum ostensum est. Itaque hoc, quod Lycurgus renovavit comicorum certamina intermissa ante, ubi cum Suidae memoria componitur, fabulas quodam tempore Anthesteriis datas esse necessario consequitur. Neque haec testimoniorum convenientia extenuatur eo, quod apud Suidam Choes, Vita autem Lycurgi Chytri commemorantur. Postquam enim certamina comicorum Choum die instituta cessarunt, singularum rerum, quae ad celebrationem Choum et Chytrorum pertinerent, ordo immutatus fuerit necesse est; quod ne rursus fieret, cum comoediarum commissiones restituerentur, ultimo festi die adiiciebantur. Sed cur et quando ista desierint certamina, satis definiri nequit; Aristophanis tamen aetate probabile est iam desiisse. Nam ante Lycurgum cessarint oportet; et si ad Dionysiorum et Lenaeorum celebritatem Aristophanis aetate aliqua ex parte accessissent, vestigium profecto unum alterumve superesset. Prudenter autem Lycurgus, ut certamina revocata efflorescerent ocyus, praemium quoddam victoriae constituit. Cum enim antea tentamini iudicum quorundam subiectus esset, si quis fabu-

lam Dionysiis urbanis docere vellet, hoc nunc Chytrorum victori datum est, ut examine isto praetermisso chorum Dionysiis magnis ab archonte acciperet, si vellet. Nihil igitur hac Lycurgi lege repugnantiae cernitur cum eo sive edicto sive more, quo Dionysiis urbanis novae tantummodo fabulae produci solebant.

Quoniam igitur comicorum certamina Chytris a Lycurgo restituta esse, certo quodam constat testimonio, neque quo testimonii fides elevetur, reperitur quicquam, dubium esse nequit, quin aliorum quorundam scriptorum dicta eodem pertineant. Quocirca in Hippolochi epistola, qui ad Lynceum amicum, Athenis versantem, ita scribit, ap. Athen. IV. p. 130. D.: σὺ δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων εὐδαιμονίζεις τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων, — — Λήναια καὶ Χύτρους θεωρῶν, verbis Χύτρους θεωρῶν comoediarum spectationem declarari patet. Pariter comoediae describuntur a Philochoro p. 62. Siebel.: ἤγοντο ἀγῶνες αὐτόθι, οἱ χύτρινοι καλούμενοι, nam quod Boeckhio l. c. p. 98. nomen ἀγῶνες χύτρινοι parum convenire comoediis visum est, animum non advertit eo, quod in nominibus hominum locorumque saepissime significandi proprietas oblitteratur. Proinde etiam apud Aelian. Histor. Anim. IV, 43.: κεκήρυκται γὰρ Διονύσια καὶ Λήναια καὶ Χύτροι καὶ Γεφυρισμοί, Χύτροι ad comoedias referendi sunt, cum praesertim ex Γεφυρισμῶν adiectione, quodnam festorum genus voluerit scriptor commemorare, inculenter appareat. Neque ullius momenti sunt Alciphronis verba in Menandri epistola II, 3. vel. p. 345. Mein., ubi Menander aulae regiae splendorem et affluentiam inferiorem habet τῶν κατ' ἔτος Χοῶν καὶ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις Ληναίων. Lenaea, quae in theatro agebantur, ait Boeckhius p. 98., et Choes accurate segregantur. At vero festa Choum et Lenaeorum si suo quodque Menander attributo voluisset insignire, qui tandem factum esset, ut Choes tantummo-

do annui dicerentur? an Lenaea quinquennalia fuerunt? Praeterea quaenam tandem sunt Lenaea ἐν τοῖς θεάτροις? Nihil, opinor, constat de duobus quibusdam theatris, quorum in uno tragoediae Lenaeis, in altero comoediae exhibitae fuerint. Aut igitur scriptorem negligentissime locutum esse concedas oportet, neque quicquam ex eo colligi posse, aut corrige verba sic: τῶν κατ' ἔτος Χοῶν καὶ Ληναίων τῶν ἐν τοῖς θεάτροις. Boeckhius autem ita se impedivit hoc praelectionum commento, ut cum h. l. naturam Choum absentia verborum ἐν τοῖς θεάτροις patefieri arbitraretur, alibi p. 102. apud scriptor. Vit. Lycurg. verba ἐν τῷ θεάτρῳ, ut necessaria, requireret. Haec hactenus.

Itaque Anthesteriis actam esse fabulam Aristophanis ullam, non sane probabile est. Quanquam, sicubi omnia ita confirmata testimoniis essent, ut fabula quaedam alio tempore docta videri nequiret, nihil profecto illae, de quibus exposuimus, rationes officerent. Verum Lysistrata, in qua propter status popularis eversionem Pisander carpitur, neque Anthesteriis potuit nec Dionysiis urbanis exhiberi. Pisander enim, cum primum adesset Athenis, populo de civitate mutanda persuasit, singulasque societates sui consilii participes fecit, Thuc. VIII, 54. Itaque factum, ub brevi optimatium partes vehementer essent auctae, crudelissimeque, quicunque resisterent, tractarentur. Nam cum ineunte Elaphebolione Pisander rediret, interfecerant Androclem, qui statum popularem tutatus est, aliosque multos, cap. 65. coll. cap. 66., ut omnia perturbata cummaxime essent, neque quisquam a periculo tutus. Aristophanes igitur, si hoc tempore fabulam docuisset, qua Pisandrum, principem et auctorem factionis Athenis, carperet, non fortitudinis esset et audaciae laude ornandus, sed dehonestandus summae crimine temeritatis. Longe alia res erat, cum vel Cratinus

summum Periclem, vel Aristophanes ipse coriarium istud scelus acerbissime insectaretur. Itaque circumspectum laudamus Meinekii iudicium, qui cum democratia etiam comoediae libertatem solutam fuisse suspicatur, Quaest. Scen. I. p. 34. ann.

Ergo igitur Lysistrata, inquit, anno primo Ol. XCII. non docta est. Docta est vero, et Lenaeis quidem. Neque enim, quod cum Palmerio Suvernius opinatus est, versibus illis: ἵνα γὰρ Πείσανδρος — —, Pisander propterea notatur, quod statum popularem evertere studuit. Etenim etiamsi Pisander, ut Suvernius voluit, ineunte Gamelione Athenas venisset, optimatium imperium constituturus, qui tandem de eo, quod fere viginti tantum diebus agitatum esset, Aristophanes potuisset dicere: ἀεί τινα κορκορυγὴν ἐκύκων? Sola igitur haec vocula istius debebat interpretationis vanitatem ostendere. Constat autem, Athenis sodalitia quaedam inita fuisse eo fine, ut et in magistratuum ambitione, et in iudiciorum discriminibus sodales sese adiuvarent invicem et amicos, vel, ut Thucydides ait, ξυνωμοσίας ἐπὶ δίκαις καὶ ἀρχαῖς, libr. VIII, 54. Ab his igitur sodalitiis Alcibiadis maxime auctoritate, quem ipsum unius principem fuisse ex Isocrate Krugerus ostendit, Commentt. Thucyd. p. 363., id summo opere actum esse, ut bello Peloponnesiaco finis ne imponeretur, satis notum est; hoc enim pacto facile magistratus licuit capessere, et quaestum varii generis facere. Itaque plane homines id genus eorumque studia Aristophanes notavit verbis illis: ἵνα γὰρ Πείσανδρος ἔχοι κλέπτειν, ἴχοι ταῖς ἀρχαῖς ἐπέχοντες, ut Pisandrum ipsum sodalitio cuidam praefuisse coniicere liceat. Vocabulum autem κορκορυγή, quod pugnae strepitum declarat, apposite Berglerus illustravit Pacis v. 992.: λῦσον δὲ μάχας καὶ κορκορυγάς, cui adiici potest Aeschyli dictum ex Sept. adv. Theb. 327. Well.: κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ.

Pisandri autem eos mores fuisse, ut cum homini-

bus id genus optime coniungi posset, facile ad ostendendum est. Nam etsi a Meinekio Quaest. Scen. II. p. 21., quae ad Pisandrum praetorem aliumque cognominem pertinent, diligenter collecta sunt, tamen, quoniam nostrum aliud ac Meinekii consilium est, et Meinekiana videbamur hic illic corrigere posse et supplere, paucis de demagogo explicandum putavimus.

Quales Athenae multos tulerunt ea aetate homines perditissimos, qui vitae probe constanterque degendae consilio usi nullo, sed utilitatem usquequaque consectati suam, populum blanditiarum illecebris rexerunt et corruperunt, eorum Pisander erat consimilis. Itaque apprime Lysistratae verbis convenit, quod Babyloniis ab Aristophane Ol. LXXXVIII, 2. inter eos commemoratur, qui, ut belli flammam excitarent, donis se corrumpi passi sunt; tantum enim licet colligere ex fragmento, etsi corrupto, p. 58. Dind.:

Ἦ δᾶρ' αἰτοῦντες ἀρχὴν πολέμου πορίσειεν
μετὰ Πεισάνδρου.

Cave enim Dindorfium sequare, qui αἰτῶν scribendo poetam sibi videtur emendasse. Nam longe et lenius est, aut cum Berglero πορίσειαν aut πορίσαιεν scribi, et post αἰτοῦντες lacunam nonnullarum syllabarum statui, et vero tutius pluralem αἰτοῦντες conservari, quo socii Pisandri declarentur, quam αἰτοῦντες in αἰτῶν converti, quod cur hic depravatum sit, ratio perspicitur nulla. Sed in populi gratia Pisandrum haud vulgari fuisse, ex eo colligitur, quod, cum Hermarum circumcisione vehementer populus perturbaretur, plurimosque in suspicione haberet, Pisander quaesitor factus est; v. Andocid. de Myster. p. 6. Steph. vel §. 36. Bekk.; qua in re satisfecit profecto exspectationi populi; nam ut acerrimus libertatis videretur vindicator esse, indicii praemium ad decem millia drachmarum auxit, summamque investigandis reis operam dedit, v. eund. p. 6. §. 43., atque praeter ceteros status popularis periculum inculcavit, ut idem testatur p. 6. §. 43b.

Itaque Archon fuit Ol. XCI, 3. At paucis annis post idem praeter Antiphontem facile princeps erat paucorum dominationis instituendae, acerbissimusque insectator eorum, qui populi partibus favebant, quod tum ex Thucyd. satis intelligitur, tum ex Andocid. de reditu p. 21. §. 14. Post eversionem autem status CCCC., auctore Thucyd. VIII. 98., Deceleam commigravit, ipso, ut videtur, mense Hecatombaeone, nec postea ullum eius reperitur vestigium. Sed ante finem belli mortuum esse, quia numero XXX tyrannorum non contentus sit, Krugerus l. c. p. 389. ann. 15. suspicatur. At haec conclusio quo tandem argumento nititur? Nam etsi XXX viros omnes ex eorum numero fuisse scimus, qui antea efficiebant CCCC illos, v. Lysiam p. 495. R. coll. Tayloro Vit. Lysiae p. 116. R., conclusionem tamen invertere non licet. Itaque hoc quidem incertum maneat oportet.

Sed hominem id genus indignationem movisse comicorum, non mirum est. Itaque ab Aristophane tum propter perversam agendi rationem, qua, ut ipse lucrum faceret, rei publicae nocere non dubitavit, acerbe castigatur in Babyloniis et Lysistrata, tum propter timiditatem Avibus et Pace. Quod quidem timiditatis crimen, iusto plus, opinor, a comicis adauctum, videor ostendere posse, unde ortum sit. Neque enim ullo modo assentimur Meinekio Quaest. Scen. II. p. 21. de explicatione versuum Eupolidis ex Ἀστρατεύτοις apud schol. ad Aristoph. Aves 1555.:

Πείσανδρος εἰς Παχτωλὸν ἐστρατεύετο
Καὐταῦθα τῆς στρατιᾶς κάκιστος ἦν ἀνήρ.

Hic, Meinekius ait, *non avaritiam tantum hominis, sed etiam timiditatem taxari videmus.* At, mea sententia, alterutrum tantummodo his verss. carpi potuit. Nam si avaritiam irrisurus Eupolis expeditionem ab eo factam esse iocose finxit, quomodo in hac re sese gessisset, consentaneum erat addi; verum in auro expugnando non κάκιστον, sed βέλτι-

στον se praebuisset; ironia autem primo versu inchoata necessario debebat continuari; neque enim huic loco adamatam illam dicendi figuram, quam παρὰ προσδοκίαν vocant, adhibere licet. Quocirca, cum altero versu plane scriptum sit κάκιστον, ne in primo quidem de ironia quadam cogitandum est. Restat igitur, ut sola timiditas notetur et certum quoddam factum respiciatur. Sed ad Pactolum expeditionem, quae huc referretur, novi nullam. Nam etsi fuit antiquitus quaedam eius nominis apud Diod. Sic. XII, 47.: οὗτοι δὲ (Athenienses) παραγενηθέντες εἰς Πακτωλὸν τῆς Βοττικῆς ἕτεμον τὴν χώραν, tamen iamdiu a Palmerio, assentiente Wesselingio, Πακτωλόν in Σπαρτωλόν conversum est. Eadem expeditio a Thucyd. commemoratur II, 79., et incidit in Ol. LXXXVII, 4. Itaque Σπαρτωλόν Eupolidi reddendum censeo, ut sola perstringatur timiditas.

Dolendum autem summo opere est, quod Platonis fabula Πείσανδρος inscripta, in qua praetorem et asinarium perstrictos testatur schol. Avium l. c., ita interiit, ut ne ex reliquiis quidem quicquam de ratione, qua Pisandros cavillatus sit, colligi possit. Meinekius autem a comico praetorem potissimum suspicatur irrisum esse, quippe qui „*ipsis illis temporibus popularis imperii eversione maxime comicorum sales provocasse videatur.*“ Hoc, utcunque est, falsum est. Nam sive ipsorum CCCC tempore Pisandrum a Platone elusum opinatus est, eadem via aberravit, qua Palmerius et Suvernius Dindorfiusque in Lysistrata, sive populari imperio revocato, non cogitavit Pisandrum ineunte anno altero Ol. XCII., Deceleam fugisse, neque, quod sciamus, rediisse unquam. Etenim comicorum est, opinor, id, quod praesens est civitatique nocuum, castigare; quod praeteriit et prorsus evanuit, facilius praetermittunt; certe mortuum quendam, aut ita patria pulsum, ut mortui instar esset, non credibile est, integra quadam fabula risui expositum fuisse; neve

mihi quis, cui adversari in animo est, Ranas opponat. Habeo autem aliud quoddam argumentum, quo ab hoc tempore fabula removeri videtur. Tangitur enim Antipho, qui remansit Athenis post libertatem restitutam, sed non tangitur propter summam in re publica administranda nequitiam et inconstantiam, verum propter avaritiam. Quocirca Platonis Pisander non potuit doceri post Lenaea Ol. XCII, 1. Ceterum quod Meinekius principem fabulae personam fuisse praetorem confecit, ita verum videtur, ut asinarium istum praetoris irridendi causa inductum existimem.

Sed ex eo, quod Lenaeis esse Lysistratam actam docuimus, de Lenaeorum tempore certius iudicari potest. Nam cum supra ostenderimus, tertia demum Gamelionis parte Pisandrum Athenis affuisse, et ante hoc tempus ab Aristophane notatus fuerit necesse sit, festum autem, quo perstringi potuerit Ol. XCII, 1. ante Lenaea extet nullum, Lenaea consectarium est intra priores duas Gamelionis partes celebrata fuisse.

Reliquum est, ut quo et quali argumento Dindorfius usus Dionysiis urbanis Lysistratam attribuerit, videamus. Nititur igitur annotat. schol. Ravenn. ad Thesmoph. 162.: καὶ ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι, τοῖς Ὄρνισι —. Thesmophoriazusas igitur Lenaeis doctam esse. Sed hoc, quale sit, facile existimari poterit, ubi de anno Thesmophoriazusarum expositum fuerit. Qua in re etsi egregia dignus est laude Palmerius iccirco, quod versus, de quibus coniectura ducenda esset, acute docteque explicuit, coniectura tamen ipsemet sua perquam mirabiliter lapsus est. Ita enim comparatus error est, ut facile legentium animos fallere possit; quo quidem errore ostenso, de anno fabulae omnis praecidetur dubitatio.

Tres autem in ipso dramate versus reperiuntur, e quibus vicesimo primo belli anno, Archonte Callia, Dionysiis urbanis Thesmopho-

riazusas doctam esse Palmerius coniecit. Nam quod v. 804. Charminus Nausimacha inferior perhibetur:

Ναυσιμάχης μέν γ' ἥττων ἐστὶν Χαρμῖνος, δῆλα δὲ τἄργα

declarari illam cladem, quam teste Thucydide VIII, 42., Charminus ad Simam insulam acceperit, vicesimo belli anno, hieme. Quoniam autem sequente aestate mortuus sit Charminus, auctore eodem Thuc. VIII, 73., mortuos autem non liceat perstringere, fabula necesse esse acta sit Dionysiis urbanis, archonte Callia. Idem consectarium esse ex vers. 839. sqq. Quippe, Hyperbolus cum item secund. Thucyd. VIII, 73. interfectus sit aestate anni vicesimi primi, *fuisset*, inquit, *non solum ab omni ioco et laetitia alienum, sed et crudele admodum matrem in recenti caede filii ita exagitare, et filii, iam mortui, famam lacerare, praesente misera matre; tum*, addit, *cautum erat lege* τοὺς τεθνηκότας μὴ κωμῳδεῖν. Transcripsimus haec propterea, quod mirabiliter haec annotatio, pariter atque alia quaedam in ann. ad v. 804. in Lipsiensi Commentt. collectione praetermissa sunt. Denique versu 808. exagitari senatores prioris anni, quibus a CCCC erepta dignitas esset; itemque hoc, etsi narratum a Thucydide inter res anni XXI., ad annum tamen XX. pertinere; sic enim Thucydidem c. 63. initio anni vicesimi primi: ὑπὸ — τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἔτι πρότερον — —. Itaque Aristophanem optime πέρυσιν dixisse.

Atque, ut ab hac ultima parte incipiamus, omnium certissimum habeatur necesse est, tum quod ad dimissionem spectari senatorum anni 1. Ol. XCII., a CCCC factam, Palmerius annotavit; — gravissimum enim et planissimum ascribere licet Thucydidis testimonium, libr. VIII. c. 69. 70.: οἱ τετρακόσιοι — — ἐπέστησαν τοῖς ἀπὸ τοῦ κυάμου βουλευταῖς οὖσιν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, καὶ εἶπον αὐτοῖς ἐξιέναι, λαβοῦσι τὸν μισθόν. — — ὡς δὲ τούτῳ τῷ τρόπῳ ἤ τε βου-

tuum esse Charminum Ol. XCII, 1. non constet, Thesmophoriazusis autem, quam Ol. XCII, 2. actam esse aliunde exploratum habemus, tanquam vivus traducatur, Ol. XCII, 2. nondum e vita excessisse consequitur.

Tum, quod ad Hyperboli commemorationem attinet, ab Aristophanis probitate haudquaquam alienum erat, matrem deperditam filii nefarii etiam post mortem filii castigare acerbeque consectari; accedit, quod Hyperboli matrem potius, quam feminam quandam improbam cavillatur. Itaque ne hoc quidem repugnat Olympiadi XCII, 2.

Quoniam igitur sic stabilitum est fabulae tempus ex ipsius fabulae testimonio certissimo, consectarium est, Andromedam Euripidis, ad quam versibus 1059. sq.: Ἦχὼ λόγων ἀντῳδὸς ἐπικοκκύστρια, ἥπερ πέρυσιν — poeta respicit, actam esse Ol. XCII, 1., pariter atque Helenam, secundum schol. Ravenn. ad Thesmoph. 1012.: Ἀνδρομέδαν] πιθανῶς. συνδεδίδακται γὰρ τῇ Ἑλένῃ, atque in errore versari schol. ad Ranas 53, sive ab ipso scriptore profectus est error, sive a librariis.

Porro, cum nihil adhuc, quo fabula anno primo Ol. XCII. ascriberetur, repertum sit, patet, quam in partem testimonia schol. Ravenn. ad v. 841. et 190. explicanda sint. De Lamacho enim duce, quem in Sicilia aestate media anni XVIII., exeunte anno altero Ol. XCI. interfectum esse, ex Thucyd. VI, 101. constat, sic annotat schol. ad v. 841.: ἐπαινεῖ τὸν Λάμαχον νῦν. ἤδη γὰρ ἐτεθνήκει ἐν Σικελίᾳ τετάρτῳ ἔτει πρότερον. Ab extremo igitur anno altero Ol. XCI. ubi numeramus, quartus annus alter est Ol. XCII., nec primus. Tum quod canum se barbatumque appellat Euripides v. 190., ita explicat idem: ἕκτῳ γοῦν ἔτει ὕστερον τελευτᾷ. Vetus est illa de anno, quo Euripides mortuus sit, controversia, summaque documentorum discrepantia vehementer impedita, in

qua, quid ex veterum testimoniis proficeretur, docte subtiliterque nuper a Frider. Ritschelio meo, Comment. de Agathone cap. VI. expositum est. Verum si Euripidem Ol. XCIII, 3. obiisse statuimus, id quod gravissimis sane auctoribus confirmatur, sextus inde ab hoc tempore annus est alter Ol. XCII.

Enimvero duae extant eiusdem scholiastae annotationes, quae ab hac multorum testimoniorum congruentia gravissima mirum quantum discedunt. Nam cum Mnesilocho nondum innotuisse videatur Agatho poeta v. 32., in eo causam scholiasta cerni existimat, quod οὐ πάλαι ἤρξατο διδάσκειν, ἀλλὰ τρισὶν πρὸ τούτων ἔτεσιν. Certissima autem constat Athenaei V. p. 217. A. fide, primam ab Agathone victoriam archonte Euphemo, Ol. XC, 4. reportatam esse; quocirca Thesmophoriazusae ad Ol. XCI, 3. pertineat necesse est. Planeque congruit cum hac memoria, quod Alcaeum poetam ab Aristophane irrisum tradit idem ad v. 162.: ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι τοῖς Ὄρνισιν; docta est enim Aves Ol. XCI, 2. Acerrime enim hoc tenendum est, verbis ἐν τῷ πρὸ τούτου δρ. necessario declarari fabulam poetae eiusdem proxime antecedentem, sive eodem, sive priore quodam anno doctam. Hoc enim cum dicendi genere πρὸ τούτου satis ostendatur, tum scholiastae ipsius annot. confirmare licet. Etenim schol. si, nescio qua de causa, nihil aliud significare voluisset, nisi fabula quadam, Thesmophoriazusis priore, irrisum Alcaeum esse, qui tandem factum esset, ut non Vespis potius, quam deinceps commemorat, temporis significationem addiderit? Ex quo patet, voluisse eum certo, quando Aves acta esset, definire, et proinde annum aut festum, quod proximum esset ante Thesmophoriazusas, declarare. Quoniam autem Aves acta est secund. didasc. Dionysiis urbanis, Thesmophoriazusas ab schol. ad Ol. XCI, 3. referri consequitur. Nam ne quis Aves proximam ante Thesmophoriazusas ita a

scholiasta dici existimet, ut complures tamen intercesserint anni, satis videmur demonstrasse, Lysistratam Lenaeis Ol. XCII, 1. actam esse, et proinde Thesmophoriazusas, si in eundem inciderent annum, Dionysiis urbanis oportere tribui; proxime igitur ne tum quidem Aves antecedere Thesmophoriazusas. Neque hoc negligendum est ullo modo, quod integris annis tertio et quarto Ol. XCI. nullum Aristophanis drama actum fuisse vix credibile est; quodsi actum fuisset quoddam, scholiastam hoc Ravenn. non fugisset, quippe qui et Aristophanis fabulas deperditas probe norit, velut Heroas ad v. 21., et didascaliarum libros usurparit, ut ex ann. ad v. 1012. intelligitur; ex quo item probabile fit, schol. Rav. in ea sententia fuisse, ut Aves proximo ante Thesmoph. anno doctam arbitraretur.

Quae si reputasset Guil. Dindorfius, nec Lysistratam ad Dionysia magna Ol. XCII, 1. retulisset, non tantopere hoc, de quo disputavimus, schol. testimonio abusus esset.

In hac igitur testimoniorum duorum tum convenientia inter sese summa, qua prioris corrigendi conatus omnes removentur, tum a reliquis, longe plurimis eisque maxime idoneis, discrepantia, quae tandem, quaeso, via ingredienda est? Non impedit sane criticae artis severitas summa, quominus documentorum secuti plurimorum et gravissimorum auctoritatem, duo illa errore quodam, cuius obscura origo sit, niti existimemus. Verum coniecturam quandam nostram, non certam illam quidem, sed nec prorsus, ut arbitror, improbabilem, qua istius causa erroris explicetur, proferre licet. Annos singulos apud Athenienses de duobus nonnunquam archontibus nominatos esse, et rerum naturae consentaneum est, et psephismatis illis apud Demosthenem satis declaratur; tantum enim profecto ex eis colligere licet. Quid igitur, si Ol. XCI, 3. ante aut post Pisandrum Theopompum quendam eponymum fuisse statuamus, cuius nomen ad Ol. XCI, 3.

in didascaliis annotatum, cum item Ol. XCII, 2. Theopompus quidam eponymus esset, oculos lectoris cuiusdam fefellisse? Non praetermittendum est autem, Pisandri nomen non multitudine quadam documentorum, sed unius niti Diodori memoria. Quodsi unus aliquis veterum grammaticorum, hoc modo lapsus, Aves doctam esse proximo ante Thesmoph. anno, Agathonemque tertio ante eandem fabulam primum vicisse tradidit, facillime potuit error iste per commentaria vetera propagari.

CAPUT IV.

De copulatione tribrachi vel dactyli et anapaesti in iambicis versibus vulgaribus.

Coniunctio tribrachi vel dactyli et anapaesti in comicorum iambis etsi ne summo quidem Bentleio usquequaque probata erat, quod vel ab editore annotationum eius perspectum, annot. ad Thesmoph. 291. p. 350. Lips., ignoratumque est tum ab aliis, tum ab Elmsleio in censura Hecubae Porson. p. 249. Lips., primus tamen Dawesius, et improbandam istam coniunctionem esse, et cur videretur improbanda esse, significavit Miscell. critt. p. 253. vel 448. Kidd. Dawesii canone impense, ut solent, delectati Britanni sunt, et delectantur etiamnunc; nec veritatem decreti ulli obnoxiam habuerunt dubitationi. Inter Germanos diu est ex quo Dawesio aliqua certe ex parte Hermannus adversatus est, quippe sua nixus iamborum dimensione trochaica; quam quidem cum impugnare nihil attineat, quomodo Dawesii praeceptum Hermannus restringi voluerit, explicare praetermittimus. Primus autem totum hunc locum eleganter, subtiliter, docte pertractavit vir ille, quem viventem et praecipientem summo complectebamur amore, mortuum desideramus insigniter, Carolus Reisigius Coniectaneorum capite primo et altero; cuius opera cum Britanni ista lex ita explanata sit et stabilita, ut certae tamen species ab eius necessitate seiungerentur, et a vitii suspicione defenderentur, res iam videri possit confecta esse. Sed quoniam hodieque in eis editionibus veterum, quarum praecipua quaedam laus hac re continetur, quod ad recentissima quaeque artis praecepta accommodantur, ista versuum species modo re-

iecta est, modo retenta, — Acharnensibus v. 47. retinuit Guil. Dindorfius formam, ab Reisigio verissime defensam: ∪ ⏑ ∪ ∪ ‖ ∪ ∪ ⏑; pariter Avibus 108. et alibi, respuit Lysistratae v. 1002.; eorundem pedum, etsi caesura non seiunctorum, copulationem conservavit Plato v. 1011., Vespp. 1169., removit Avibus 1677. et locis plerisque; proceleusmaticum tutatus est Equitt. 7. Ranis 78., alibi, contra aspernatus in Eupolidis versu ap. Athen. XIV. p. 623. C. — et quoniam Britanni, velut Dobreus in Appendice ad Porsoni Aristophanea et Kiddius in ann. ad Dawesii Miscellanea etiamnunc temere omnia miscent, denique a Reisigio nobis de specie una, cuius defensionem suscepit, plane dissentiendum est, denuo de praecepti illius natura et ambitu exponendum statuimus. Accedebat aliud quoddam momentum, quod in ratione quadam studiorum optimorum, qualia nostra memoria sunt, positum est. Sunt enim, nec sane pauci aut obscuri homines, qui cautionem et providentiam, iure in primariis philologi virtutibus numeratam, ad ignavam quandam detorqueant superstitionem, qua quae ratione vel arte vel loquendi consuetudine vitiosa coarguuntur esse, sustentant pertinaciter, et licentiae incertae cuiusdam et inanis commento tum sibi, tum aliis incredibilia persuadeant. Quos equidem arbitror, si forte multitudinem istam aspiciant exemplorum, a Kiddio congestorum, quae secundum Dawesii praeceptum vel correcta sunt vel corrigenda, extemplo illius vanitatem regulae clamitaturos esse. Horum igitur temeritatem, ut quantum fieri posit, ab iamborum elegantia arceamus, plurima ex istis exemplis ostendentur emendanda fuisse, etiamsi Dawesius quidam extitisset nunquam, in multis scripturae varietatem eam esse, ut utrumvis, aut quod conveniat cum illa observatione, aut quod discrepet, eligere liceat, complura denique criticorum corruptionibus deberi.

Metri iambici natura cum partim expedito quodam facilique decursu, partim placida cernatur ac moderata

lenitate; alterum a continua est eaque celeri positionis elationisve alternatione repetendum, alterum a temporis ratione, quae inter thesin et arsin est, diversa illa quidem, sed aequabiliter diversa. Verum postquam recitando adhibitum est genus iambicum, temperandum erat sic, ut ne varietatis quidem oblectatio deesset. Potuit autem varietas comparari dupliciter, cum aut gravitatem quandam afferrent longae syllabae, hic illic substitutae brevibus, aut alacritatem maiorem haberet brevium concursus syllabarum, sive longa una soluta esset, sive quasi amplificata brevis una in duas breves. Sed cavendum summo opere erat, ne propter concitationem magnam aequabilitas evanesceret numerorum. Licuit igitur anapaestos continuare et tribrachos, quoniam syllabae, quas pronuntiando oportet coniungi, velut ⏑⏑ – ⏑⏑ –, ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑, intervallo quodam separantur, iambicaque natura facile potuit conservari, quin recitandi tolleretur facilitas. At vero abstinendum erat ab eorum copulatione pedum, quibus vel coniunctis pronuntiatione aequabilitas esset iamborum eversa, vel non coniunctis, omnis eorum obscurata natura. Atque ex hoc genere esse dactyli vel tribrachi et anapaesti concursum, velut — ⏑⏑ ⏑⏑ –, ⏑⏑⏑ ⏑⏑ –, pariterque proceleusmaticum uno pede contentum ⏑⏑ ⏑⏑, facile intelligitur.

Sed ipsa Dawesiani praecepti origo, quam modo ostendere conati sumus, quibus sit regula circumscribenda finibus, satis ostendit. Nam qui pedes coniuncti vehementer recitandi facilitatem impediunt, nihil officiunt quicquam, ubi seiuncti sententiae intercapedine sunt. Itaque cum quadruplex esse possit in trimetro iambico tribrachi et anapaesti coniunctio, nam dactylusne sit prior pes, quando quidem licet per iamborum naturam, an tribrachus nihil refert, ut aut prima dipodia concurrant, aut divisi sint inter primam et alteram, aut sola contineantur altera, aut ad alteram tertiamve

pertineant, unamquamque consequitur copulationis speciem bonam esse probamque, qua pedes illi sententiae intervallo dirimantur, praetereaque nullam; pariterque proceleusmaticum, divisum in duas partes, non reiiciendum esse. Sed ex quattuor istis formis, quas probandas esse diximus, nonnisi alterius quaedam extant exempla eaque paucissima; proceleusmatici autem nullum. Itaque disputationem nostram ita instituere licet, ut primum alterius generis versus, qui incorrupti videantur esse, proferantur, tum de depravatorum agatur emendatione ordine eo, quem supra significavimus, denique proceleusmatici species ab iambis removeatur. Addentur autem hic illic aliorum dictorum vel explicationes vel emendationes.

Atque illud quidem genus, quo prima dipodia tribracho et sententiae fine terminatur, egregie Reisigius a Dawesiana lege separandum vidit. Acharnensibus v. 47.:

ἀλλ' ἀθάνατος. ὁ γὰρ Ἀμφίθεος Δήμητρος ἦν —

cum Hermannus aliquando ὁ δ' Ἀμφίθεος scribendum existimasset, rectissime adversatus est Reisigius, nec debebat ipse locum ullum concedere coniecturae: ὅ γ' Ἀμφιθ., licet γέ et γάρ pariter ac δέ et γάρ frequentissime confusae sint. Importune γάρ particula aut Bekkeri aut librarii negligentia illata est in Platonem comicum ap. schol. Ravennat. ad Thesmoph. 808., cuius versus sic redintegrandi sunt:

Α. Εὐτυχεῖς, ὦ δέσποτα.
Β. τί δ' ἔστι; Α. βουλεύειν ὀλίγου 'λάχες πάνυ·
ἀτὰρ οὐ λαχὼν ὅμως ἔλαχες, ἢν νοῦν ἔχῃς·
Β. πῶς νοῦν; ἔχω νοῦν. Α. ὅτι πονηρῷ καὶ ξένῳ
ἐπέλαχες ἀνδρὶ, κοὐδέπω γ' ἐλευθέρῳ

Versu tertio a Bekkero proditum est ἀγαρόν, quod vere in ἀτὰρ οὐ a nobis conversum esse, sententiarum cohaerentia declarat. Versu 4. Bekkerus de sua coniectura πῶς ἢν ἔχω νοῦν scripsit, annotavitque in Ravennate πῶς οὖν ἦν reperiri. At ubi quid ita pronuntiatum

est ab aliquo, ut alter vel admiratione motus vel indignatione rei naturam intentius scisciteur, interrogatione non solet repeti ex prioribus dictum integrum, sed vox aut voces primariae tantum. Acharnensibus igitur 931. Lamachi servo haec dicenti:

ἐκέλευε Λάμαχός σε ταύτης τῆς δραχμῆς
εἰς τοὺς Χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν κιχλῶν.
τριῶν δραχμῶν δ' ἐκέλευε Κωπᾷδ' ἔγχελυν.

respondet Dicaeopolis:

ὦ ποῖος οὗτος Λάμαχος τὴν ἔγχελυν;

Ecclesiazusis v. 90. mulieris cuiusdam consilium eiusmodi:

παντί γέ τοι, νὴ τὸν Δί', ἐφερόμην, ἵνα
πληρουμένης ξαίνοιμι τῆς ἐκκλησίας.

his miratur Praxagora:

πληρουμένης, τάλαινα;

Ranis 1210. 1211. in Aeschylum affirmantem:

σὺν τοῖσιν θεοῖς
ἀπὸ ληκυθίου σου τοὺς προλόγους διαφθερῶ.

ita invehitur Euripides:

ἀπὸ ληκυθίου σὺ τοὺς ἐμούς;

Insigniter dictum est in Pluto 400. 401.:

— δεῖ γὰρ πρῶτα — τί;
βλέψαι ποιῆσαι νώ — τίνα βλέψαι, φράσον.

Atque ipsam particulam πῶς huic dicendi generi eleganter Aristophanes adhibuit, velut Acharnensibus 372. 373.:

οὐκ ἔνδον ἔνδον ἐστὶν, εἰ γνώμην ἔχεις.
πῶς ἔνδον, εἶτ' οὐκ ἔνδον;

Ecclesiazusis 124. sqq.:

δεῦρ' ὦ γλυκυτάτη Πραξαγόρα, σκέψαι, τάλαν,
ὡς καὶ καταγέλαστον τὸ πρᾶγμα φαίνεται. —
πῶς καταγέλαστον;

Ex quibus exemplis Bekkeri coniecturam duabus de causis consequitur reiiciendam esse, tum quod enuntiatum integrum, quo admiratio excitata est, repetitum foret, tum propter verborum ordinem immutatum,

quem accurate vidimus conservari in eis exemplis, in quibus interrogatione complura verba, de prioribus petita, comprehenduntur. Quocirca cum in Ravennate consignatum sit πῶς οὖν, censuimus πῶς νοῦν restituendum, quod tantundem valet atque: πῶς τοῦτο λέγεις, ἦν νοῦν ἔχῃς; quibus deinceps, indignatione motus, addit ille, quisquis est, ἔχω νοῦν. Corrupto autem priore νοῦν, ἦν particula, quam ex Ravennate enotavit Bekkerus, inferta est a male sedulo. Sed quintum versum sic exhibuit Bekkerus: ἐπέλαχες ἀνδρί. οὐδέπω γὰρ ἐλευθέρῳ, quippe interpunctione hiatus vitium turpissimum devitaturus. Prorsus enim singulare consilium est Philetae editoris, versum

Βίον καλὸν ζῇς, ἂν γυναῖκα μὴ ἔχῃς

sine iusta ratione asseverantis p. 65 a Wakefieldio et Meinekio coniecturis esse tentatum, Frommeliique, qui haec:

Ὁπότε παρέλθοι, ὥςπερ ὠ 'γαθοὶ δρομῆς

Eupolidi tribuit, annot. ad schol. Aristid. p. 174. Nam in Guil. Dindorfium nolimus a quoquam similis vitii suspicionem conferri, qui in Parmenonis Byzantini choliambo ap. Athen. V. p. 221. A. antiquam scripturam conservaverit hanc:

Σκυθιστὶ φωνεῖ, οὐδὲ κόππα γιγνώσκων

quanquam de correctionis necessitate dubitari nequit. Itaque Meinekius Curr. critt. p. 23. voluit κοὐδέ scribi; καί enim cum participio iunctum declarare, quamvis. Et sustulit quidem hoc pacto hiatum; at idem depravavit sententiam. Etenim cum utrumque σκυθιστὶ φωνεῖν et οὐδὲ κόππα γιγνώσκειν ad diversos ebrii status describendos pertineat, prius restringi altero non potest. Declaratur enim Parmenonis choliambis ebriorum conditio, quae duplex quaedam est; primum, nervorum vi omni intenta, insanissima quaeque ore solent effundere, Graece σκυθιστὶ φωνεῖν, deinde remissi iacere quasi exanimes; et rerum sensu plane destituti, οὐδὲ κόππα γιγνώσκειν; hanc enim posteriorem dicti vim esse,

luculenter testatur Hesychii glossa Vol. II. c. 143.: κόππα, τινὲς δὲ τὸ ἐλάχιστον, iniuria tentata a Bnherio vereque a Schweighaeusero ad hunc Parmenonis versum relata. Itaque, ut coniungantur, quae coniungenda esse rerum natura docet, Meinekii κοὐδέ suscepto, et distinctione post γιγνώσκων sublata, sic emendamus Parmenonem:

Ἀνὴρ γὰρ ἔλεγεν οἶνον ὡς ὕδωρ ἵππος
σκυθιστὶ φωνεῖ, κοὐδὲ κόππα γιγνώσκων
κεῖταί γ' ἄναυδος, ἐν πίδῳ κολυμβήσας

Particula γέ, quam vulgato δέ substituimus, vehementer verborum κεῖται ἄναυδος potestas extollitur, quam item simplici κεῖται consequi licuisset. Similiter nunc ex Ravenn. Acharnenss. v. 116. cum sententiae haud mediocri commodo οὐκ in κοὐκ conversum est. Quocirca in promptu est ap. Platonem comicum κοὐδέπω reponere, et proinde pro importuno γάρ γέ particulam, cfr. Equitt. 168.: κοὐδέπω γε πάνυ' ὁρᾷς.

Contra γάρ restituendum est Menandro in Append. Florent. ad Stobaei Floril. p. 12. l. 5. Gaisf.:

Τί γὰρ ὄφελος λαλοῦντος, ἂν κακῶς φρονῇ.

Apud Gaisfordium est τί δ'; nempe correctionibus id genus in libris, qualis Stobaei est, locus patuit. Porro Antiphanis versus apud Polluc. X. §. 21., haud leviter deformatos, refinxit Bentleius Epist. II. ad Hemsterh. p. 92. in hanc speciem:

Α. Ἄν κελεύῃ με σταθμοῦχος — Β. ὁ σταθμοῦχος δ' ἔστι τίς;
ἀποπνίξεις σὺ δή με καινὴν πρός με διάλεκτον λαλῶν.
Α. εἰ 'πιτάττοι μοι στέγαρχος —

Sed versu primo cum codicum memoria proditum sit ἢ σταθμ., assumpto de proximo vocabulo ϖ littera, scribendum potius videtur: τίς; σταθμοῦχος δ' ἔστι τίς; nam et orationis concinnitati valde prodest, quod vocabulo, antea simpliciter posito, ne in interrogatione quidem articulus accedit, et repetitum interrogandi pronomen egregie ad interrogantis animum describendum valet. Post Hemsterhusius edidit: ἀποπνίξεις δέ με; ex suo codice Iungermannus enotavit: ἀποπνίξεις γάρ.

Quocirca cum haud facile ferendus sit Bentleii anapaestus primo pede, initio versus coniicimus vocabulum quoddam intercidisse, velut τάχα. Tum, ne Buttmanno auctore Gr. gr. max. V. II. p. 221. corrigas ἀποπνίξει, contendendum hoc dictum est cum Platonis comici versu ap. Athen. I. p. 67. C.:

ἐν σαπρῷ γάρῳ
βάπτοντες ἀποπνίξουσί μ' —

quem versum Poppo excitavit loco infra citando. Prior igitur versiculi pars haec est:

τάχ' ἀποπνίξεις γάρ με καινήν —.

Versu tertio, cuius principium sic in cod. Iungerm. scriptum est: ἤτε τὰ κτοι, nam ex Hemsterhusii annot. nihil licet de codd. scriptura intelligere, ex parte quadam praeclarum est Bentleii inventum: εἰ πιτάττοι; namque debebat ille potius ἤ tutari et ἐπιτάττῃ corrigere, quoniam εἰ particulae crasis admodum suspecta est, cfr. Reisig. Synt. crit. p. 21. et Comm. critt. ad Oed. Col. p. 279.

Quod altero loco positum est exemplum ex Pace 247.

ἰὼ Μέγαρα, Μέγαρ', ὡς ἐπιτρίψεσθ' αὐτίκα

contra Erfurdtii suspicionem, qui ἰὼ Μέγαρ', ὦ Μέγαρ' corrigi iussit, verissime Reisigius defendit. Sed licuit, mea sententia, alio quodam argumento istam reiicere coniecturam. Vocula enim ὦ cum eo valeat, ut proximi vocabuli gravitatem haud mediocriter extollat, sua ipsius vi admodum extenuatur; quocirca ab arsi anapaesti, quae insigni quodam effertur ictu, videtur aliena esse. Atque inter ingentem trimetrorum numerum ap. Aristophanem, in quibus sexcenties prima secundave cuiusque dipodiae arsi collocata est, quater tantum, si recte memini, anapaesti arsi subiecta est. Ac Thesmoph. quidem 466:

τὸ μέν, ὦ γυναῖκες, ὀξυθυμεῖσθαι σφόδρα

non dubito istam voculam eiicere, quippe alienissimam a gravitate orationis, qua Euripidem Mnesilochus a mulierum odio defendere aggreditur; vereque Elmsleius, saepius, inquit, ὦ male addunt, quam omittunt librarii, ann. ad Eurip. Medeam 134. Pariter Ecclesiaz. 243.:

πόθεν, ὦ παλαινα, ταῦτ' ἔμαθες οὕτω καλῶς;

translata in hunc versum ex priore videtur. Acharnenss. versus 165.:

οὐ καταβαλεῖτε τὰ σκόροδ'; — ὦ μόχθηρε σύ.

ab orationis intercapedine excusationem habet. De quarto autem exemplo, quod Pace 113. extat, alio loco explicatius dicetur. Sed plane praetereundi sunt inanes Bentleii, Porsoni Advers. p. 213. Lips., Elmsleii in cens. Hec. Pors. p. 249. conatus de Pacis versus incorruptissimi emendatione. Nam quod Elmsleius, et proinde Kiddius ad Dawes. Misc. p. 447. futuri formam mediam in dubitationem vocarunt, in hoc quidem genere summus ille similium exemplorum appetitus, qualis Britannorum est, patulum compescendus erat. Quanquam quod a Buttmanno Gr. gr. max. II. p. 54. simplicis verbi futurum medium sententia passiva notatum video ex Thucyd. VI, 18., errore manifesto nititur; nam ut vis media inesse in futuro medio censeatur, tum sententia postulat, tum additamentum verborum αὐτὴν περὶ αὑτήν.

Tertio commemoranda sunt longe sanissima verba Ecclesiazus. v. 334. sqq.:

ἐγὼ δὲ κατάκειμαι πάλαι χεζητιῶν
τὰς ἐμβάδας ζητῶν λαβεῖν ἐν τῷ σκότῳ
καὶ θοἰμάτιον· ὅτε δὴ δ' ἐκεῖνο ψηλαφῶν —

Nam quod Hermannus olim et Porsonus, teste Kiddio ad Dawes. Misc. p. 447. putarunt corrigi posse: καὶ θοἰματίόν γ', egregie iudicio lapsi sunt. Etenim duo attributa quaedam quando ita ex uno aptantur verbo, ut hoc pariter ad utrumque pertineat, nequit alterum

attributum cum priori copulari particulis καὶ — γέ, quippe quibus par pari annectatur nusquam, sed aut minori maius aut minus maiori, quanquam hoc quidem satis raro. In Ecclesiazusarum autem versu patet calceos et pallium pariter requiri a Blepyro. Sed ut loquendi consuetudine rationis comprobari legem perspiceretur, ascripsimus haec exempla: Thesmoph. 37.: ἐξέρχεται θεράπων τις αὐτοῦ, πῦρ ἔχων καὶ μυρρίνην., ibid. 291.: καὶ πρὸς Φάλητα νοῦν ἔχειν μοι καὶ φρένας. 414. 415.: εἶτα διὰ τοῦτον ταῖς γυναικωνίτισιν σφραγῖδας ἐμβάλλουσιν ἤδη καὶ μοχλούς. 484.: στρόφος μ' ἔχει τὴν γαστέρ', ὦνερ, κώδύνη. Acharn. 350.: ἐάν τις αὐτοὺς εὐλογῇ καὶ τὴν πόλιν. 1053. 1054.: ἐπὶ δεῖπνον ταχὺ βάδιζε, τὴν κίστην λαβὼν καὶ τὸν χοᾶ. Eccles. 906. 907.: ἐγὼ δὲ καταπεπλασμένη ψιμυθίῳ ἔστηκα καὶ κροκωτὸν ἠμφιεσμένη. Equitt. 39.: ἦν τοῖς ἔπεσι χαίρωσι καὶ τοῖς πράγμασι. 156.: ἔπειτα τὴν γῆν πρόσκυσον καὶ τοὺς θεούς. Pace 946.: ἄγε δή, τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα. 1030.: ἐγὼ δ' ἐπὶ σπλάγχν' εἶμι καὶ θυλήματα. Eodem pertinet, quod uni attributo duo adiunguntur verba, velut Thesmoph. 599.: ἀλλὰ σκοπεῖν ἐχρῆν τὸν ἄνδρα καὶ ζητεῖν ὅπου — et alibi. Aristophanes igitur cum studio sit et arte elegantem illam sive attributorum sive verborum disiunctionem consectatus, imperitum patet Dobrei consilium esse, Ecclesiazusarum versum sic corrigentis Add. ad Plut. 1012. p. (112.):

τὰς ἐμβάδας καὶ θοἰμάτιον ἐν τῷ σκότῳ
ζητῶν λαβεῖν.

Quartum id genus versum ex Avibus 108.:

ποδαπὸ τὸ γένος; ὅθεν αἱ τριήρεις αἱ καλαί.

cum duplicitер Dobreus, si fides habenda Kiddio, vitio liberare conaretur, bis suo quodam more peccavit. Tametsi enim magna Dobrei doctrina est, ingeniumque ab inveniendi laude insigne, subtilitas tamen in iudicando

rerumque grammaticarum perscrutatione saepe desideratur. Prius igitur conamen, Dobreo tributum ap. Kiddium, quo *αἱ* ante *τριήρεις* eiiciendum censuit, satis ex sententiarum nexu refutavit Reisigius p. 18; nam linguae usum, qui articuli abiectionem non ferat, velim aut Hermannus Elem. Doctr. metr. p. 138., aut Guil. Dindorfius, qui Hermannum sequitur, Comment. in Aristoph. Vol. VII. P. I. p. 180., explicuerit, qui qualisque esset. Verum quod post eidem placuit Dobreo: *ποδαπὸ γένος*;, mea sententia Graecum non est. Nam etsi *βάρβαρος τὸ γένος ἐστίν* et *βάρβαρος γένος ἐστίν*, similiaque, a Dobreo commemorata, promiscue dici constat, ratio tamen longe alia in interrogationibus obtinet. Quisquis enim est, qui interrogat, inprimis hoc consectetur oportet, ut, quam possit, accuratissime suum declaret consilium. Praeterea diligenter tenendum est, vocabula, quale *γένος* in enuntiato *βάρβαρος τὸ γένος ἐστίν* eo fine addi, ut cogitatio, priore quodam contenta vocabulo, inculcetur iterum. Quocirca, si interrogationi, qualis *ποδαπὸς εἶ*;, qua distincte interrogantis animus ostenditur, accedat quiddam, quo id, cuius causa interrogatum est, penitus animo audientis imprimatur, hoc necesse est in eadem dicendi accuratione versetur atque prius. Non potuerunt igitur unquam Graeci vel *ποδαπὸς γένος εἶ*; dicere vel *πρῖος τρόπον εἶ*; idque genus alia, sed necessario addendus articulus erat.

In Lysistratae versu 1002., ante Brunckium sic scripto:

πῶς οὖν ἔχετε; μογίομες. ἂν γὰρ τὴν πόλιν —

tanta est exemplorum auctoritas, a Koenio ad Gregor. Cor. p. 229. Schf. allatorum, ut Doricam dialectum necessario censeamus *μογιῶμες* requirere. Mirum autem Guil. Dindorfii consilium est, qui cum retineret *μογίομες*, proximo tamen versu *λυχνοφοριῶντες* ediderit.

His non dubitamus sexto loco annumerare Acharnenss. v. 894.:

ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ καταγῇ φερόμενος.

Fuerunt enim, qui importuno acumine de versus auctoritate dubitarent. Verum de copulatione tribrachi et anapaesti, quoniam distinentur sententiae intervallo, nequit ulla depravationis trahi suspicio; restat igitur ultima vox φερόμενος, cuius loco constanti librorum omnium fide φορούμενος traditur. Sed ne huic quidem rei quicquam tribuendum esse, constanter asseveramus. Ubicunque enim tam aperta est vitii origo, quam hoc versu, non decet criticum, providentiam quandam praetexere, sed id, quod falsum est, forti est removendum manu. Constat autem ne praestantissimum quidem codicem Ravenn. a glossematis et correctionibus grammaticis metricisve liberum esse. Nec vero, si priore versu incorruptum esset φέρω, offensionem haberet ullam participium φερόμενος. Pertinet enim hoc ad summam loquendi accurationem Graecorum, quod in enuntiato, apto ex priore quodam, verbum finitum prioris, conversum in participium, repetitur posteriore. Luculentum extat documentum, nec pleonasmo infectum ullo in Sophoclis Oedip. R. 605. sqq., a Schaefero annotatum versui 741.: τοῦτ' ἄλλ', ἐάν με τῷ τεράσκόπῳ λάβῃς, κοινῇ τι βουλεύσαντα, μή μ' ἁπλῇ κτάνῃς, διπλῇ δὲ, τῇ τ' ἐμῇ καὶ σῇ, λαβών. Ex quo apparet, quanta sit arte ab Sophocle dictum in ead. fab. 740. 741.:

μήπω μ' ἐρώτα τὸν δὲ Λαΐου, φύσιν
τίν' εἶχε, φράζε, τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης, ἔχων.

Duo sunt, de quibus Oedipus Iocastam interrogat, externam Laii formam cogniturus, qua forma fuerit et qua aetate; quorum alterius cognitio cum ita nexa sit ex priore, ut ex natura corporis de aetate indicari possit, hanc rerum cohaerentiam poeta declarare voluit participio ἔχων. Cum enim simpliciter dicere potuerit: τὸν

δὲ Λαΐου, φύσιν τίν' εἶχε, φράζε, τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης, participio ἔχων addito, posterior interrogationis pars sic cum priore copulatur: φύσιν τίν' εἶχε, φράζε, τίνα δὲ φύσιν ἔχων τίνα ἀκμὴν ἥβης εἶχεν. Itaque nec pleonasmus ullus cernitur in participio ἔχων, quae Schaeferi opinio est, neque cum Hermanno de confusione duarum constructionum cogitandum est. — Verum inter complures species, in quibus similis participii usus versatur, insignis illa est, ubi particula καί utrumque enuntiatum continetur, velut Pace 1286: ἄπεχέ, καὶ τοῖς λυχνοφόροισιν ἅδ' ἰόν; ad quam quidem speciem accommodandum videtur esse dictum ex Euripid. Suppl. 1215. 1216. Herm.:

Ἄκουε, Θησεῦ, τούςδ' Ἀθηναίας λόγους
ἃ χρή σε δρᾶσαι, δρῶντα δ' ὠφελεῖν τάδε,

scribendo δρῶντά τ', et accommodata est elegantissima Seidleri, dissert. de Aristoph. fragm. p. 26., coniectura in fragm. Tagenist. p. 185. Dind.:

καὶ θύομέν γ' αὐτοῖσι τοῖς ἐναγίσμασιν
ὥςπερ θεοῖσι, καὶ χοὰς γε χεόμενοι
αἰτούμεθ' — —

Vulgatum enim χοάς γε χέομεν cum Frideric. Iacobsio, motus codicis Vossiani scriptura: χοάς τε, in χοὰς ὅτε χέομεν mutaret, Lect. Stobenss. p. 3., neque ad sententiam satis animum attendit, neque ad consuetudinem dicendi. Nam ista constructionis specie videntur τὰ ἐναγίσματα ab eo, quod est χοὰς χεῖσθαι, seiungi tanquam diversa, licet ἐναγίζειν et χοὰς χεῖσθαι plane idem declarent; itaque coniuncta reperiuntur ap. Isaeum de Philoctem. heredit. §. 65. Bekk.: ποῦ δ' ἔτι ὄντες οἱ παῖδες ἐναγίζουσι καὶ χέονται. Quod ad alterum attinet, Graeci dixerunt χοὰς χεῖσθαι, neque χοὰς χεῖν. In priore autem, quem transcripsimus, versu diligenter cogitatione separanda sunt verba αὐτοῖσι, hoc est τοῖς τεθνεῶσιν et τοῖς ἐναγίσμασιν; sententia enim haec est: ἐναγίσμασι perficiendis sacrificamus mortuis, quemadmodum dis. — Insigne loquendi genus, egregia ni-

xum cogitandi alacritate, qua Graeci praeter ceteros floruerunt, incredibile est, quanto opere a quibusdam ignoretur. In Platonis Phaedone p. 59. A. de integritate verborum: διὰ δὴ ταῦτα αὐδὲν πάνυ μοι ἐλεεινὸν εἰςήει, ὡς εἰκὸς ἂν δόξειεν εἶναι παρόντι πένθει, nec Wolfius in ann. ad. h. l. nec Reisigius Comm. critt. ad Oed. Col. p. 391. persuaserunt Astio, qui inutile suum inventum: παρόντα etiamnunc tutatur. Idemque genus cum verissime adhibuisset Hermannus explicando versui ex Sophocl. Trachin. 382. 383.

ἔλειπτο μή τι πάντες οἱ κακοὶ, τὰ δὲ
λαθραῖ' ὃς ἀσκεῖ, μὴ πρέποντ' αὐτῷ, κακά.

rursus est aspernatus, licet recte iudicarit Erfurdtius, Aiace 871. sqq. Herm.

σχέτλια γάρ,
ἐμέ γε τὸν μακρῶν ἀλάταν πόνων
οὐρίῳ μὴ πελάσαι δρόμῳ
ἀλλ' ἀμένηνον ἄνδρα μὴ λυσσεῖν, ὅπου.

Est enim ἀμένηνον, seiungendum a voce ἄνδρα, eodem artificio dictum, quod modo notavimus in participio, ac potest adeo, addito cogitatione ὄντα, pro participio haberi. Sed quod Hermannus chorum eo magis indignari opinatur, quod Aiacem ἀμένηνον, morbo vix refectum, ipse viribus integer assequi non potuerit, videtur a summa cura et anxietate chori tam minuta comparatio abhorrere. Ab eadem parte facile existimare licet, quae de Pluti v. 579. Hemsterhusius et Dobreus commentatus est. Paupertas enim cum ab hominibus iccirco se derelinqui testata esset, quod eos conetur meliores reddere, pariterque liberos significasset parentum, etsi optime sibi volentium, devitare consuetudinum, addit causam rei hanc:

— οὕτω διαγιγνώσκειν χαλεπὸν πρᾶγμ' ἐστὶ δίκαιον.

Δίκαιος, ut hoc primum commemorem, declarat, quod virtuti consentaneum est, quod bonum, probum, iustum; quamobrem inutile amici cuiusdam sui inventum, qui κράτιστον scribi voluit pro δίκαιον, incassum

Dobreus approbavit. Iam constructio verborum, quando ita instituitur, ut fere factum est, velut a Fischero: οὕτω χαλεπὸν πρᾶγμ' ἐστὶ διαγιγνώσκειν δίκαιον, falsum est δίκαιον simpliciter positum, idemque cadit in κράτιστον illud; cum enim sententia huius versus duobus referatur exemplis, quorum alterum de universo hominum genere, alterum de liberis petitum est, debebat id, quo quasi genere quodam duo ista continentur exempla, item generatim pronunciari; contra si unum tantummodo prolatum exemplum esset, quo hominum prava agendi ratio, quod sibi salutare est, reiicientium, declararetur, licuisset sic loqui: οὕτω χαλεπόν ἐστι διαγιγνώσκειν δίκαιον, hoc est δίκαιόν τι. Quocirca ex una parte sua laude non fraudandus est Hemsterhusius, qui prudenter coniecerit: πρᾶγμ' ἦν τὸ δίκαιον. Atqui reiicienda est haec coniectura propterea, quod conclusionem, quae de rebus quasi praesentibus fit, — dictum est enim φεύγουσι v. 575. et 577. —, consentaneum est item praesenti efferri tempore. Verum enimvero incorrupta sunt omnia, coniungendaque verba in hunc modum: οὕτω χαλεπόν ἐστι διαγιγνώσκειν πρᾶγμα δίκαιον; nam πρᾶγμα δίκαιον generatim dictum est pariter ac τὸ δίκαιον. Quod ad collocationem attinet verbi substantivi, cfr. Nubb. v. 1344. Reis.: ὡς δίκαιον καὶ καλὸν τὸν πατέρα τύπτεσθ' ἐστὶν ὑπὸ τῶν υἱέων.

Praeterea ad hoc genus referimus Lysistratae v. 507., misere vulgo depravatum:

ἡμεῖς τὸν μὲν πρότερον πόλεμον καὶ τὸν χρόνον ἠνεχόμεσθα.

Inauditam formam ἠνεχόμεσθα satis Porsonus exagitavit Suppl. Praef. ad Hecub. p. XIX. XX. ed Lips. tert., et Reisigius Coniectt. p. 217. 218,, ac licet nunc quidem ex Bekkeri collatione Ravennatis ἠνεσχόμεσθα potius revocare, quam ex cod. Trin. ἠνειχόμεθα. Miror autem, unde Porsono, cum a Brunckio et Invernizio nihil annotatum esset, de scriptura librorum MSS. constiterit: neque enim memini quicquam legere de

peculiari quadam collatione codd. Pariss. et Ravennatis, qua usus sit Porsonus, aut de codd. Lysistratae Britannicis, praeter cod. Trin.. Probato autem ἠνεσχόμεθα, reliqua versus pars aliter conformetur oportet, quae tamen et ipsa corrigendi necessitatem affert. Nam ineptum est additamentum πρότερον, quasi vero posteriboris belli calamitates ante Lysistratam datam ferre mulieres potuerint; satis erat dixisse: τὸν πόλεμον; ineptum est, quod sive tempus praeteritum, sive tempus simpliciter dictum eaedem tolerasse dicuntur; nam χρόνος nunquam ap. Graecos denotat tempestatem. Atque hoc quidem egregie perspexit Reisigius, ingeniosamque exprompsit emendationem:

ἡμεῖς τὸν μὲν πρότερον πόλεμον, πάντ' ἐξηνεσχόμεθ' ἀεί —

Verum qui factum sit, ut ab interprete quodam verbis τὸν πρότερον πόλεμον ascriberentur haec: καὶ τὸν χρόνον, non intelligo equidem. Sed si verba τὸν πρότερον separentur cogitatione a πόλεμον, ut tempus, quod Lysistratam fabulam antecessit, significetur, maxime proclivis fuit explicatio haec: τὸν χρόνον. Itaque ascito praeclaro Reisigii supplemento in extremo versu, consecuti esse videmur, quod admodum veri sit simile:

ἡμεῖς τὸν μὲν πρότερον πόλεμον καὶ πάντ' ἠνεσχόμεθ' ἀεί
ὑπὸ σωφροσύνης τῆς ἡμετέρας, τῶν ἀνδρῶν, ἅττ' ἐποιεῖτε.

Latinos etsi vere praeceptum est a Reisigio Comm. critt. ad Oed. Col. l. c. magis ab hac dicendi forma abstinuisse, non desunt tamen hic illic exempla insignia. Planum est, quod ap. Marc. Tullium de Re publ. I. c. XXXIX. §. 61. Scipio ait: „Quia animum adverti, nuper cum essemus in Formiano, te familiae valde interdicere, ut uni dicto audiens esset.“ In eiusdem libri c. XVII. §. 28. fin. satis mirari nequeo, tum quod verba perspicua: „cui persuasum sit, appellari ceteros homines, esse solos eos, qui sint politi propriis humanitatis artibus,“ corrupta habuit praeclarus editor Bonnensis, tum emendationem ab eo inventam.

Sed ut ad Acharnensium versum illum revertamur,

ratiunculam quidem istam, qua Bothius et Dobreus ap. Kiddium ad Dawes. Misc. p. 447. versus spurii originem explicare conati sunt, nequeo non levissimam habere. Nempe compositum huno versum esse ex vv. 870. 871.: συκοφάντην ἕξαγε, ὥσπερ κέραμον ἐνδησάμενος, et v. 895. sqq.: ἔνδησον — τὴν ἐμπολὴν — ὅπως ἂν μὴ φέρων κατάξῃ. Sciendum est autem, summo opere in Aristophane abstinendum esse a minuta illa, quae in Tragicorum fabulas grassata est, versuum spuriorum investigatione, et libidinosa eiectione.

His igitur exemplis, quae et per se satis certa sunt, et sese tutantur invicem, egregie tribrachi et anapaesti, ad diversa pertinentium enuntiata, stabilitur copulatio. Nam de Nubium v. 662. Reis. vehementer a Reisigio et Hermanno nostra sententia discrepat; quod cur fiat cum ostendetur, item, ut speramus, ab inveterato quodam naevo versus liberabitur. In rerum grammaticarum institutione ab eo orditur Socrates, ut Strepsiadem ex quadrupedibus quaenam mascula sint, primum nuncupare iubeat. Promptus ad respondendum, ut in re apertissima, arietem discipulus appellat, hircum, taurum, canem, gallum. Quo audito, vellicans ipsum Socrates, viden', inquit, quid tibi accidat, cum gallum inter mascula referas? erras, optime; soles enim tu aliique vitae quotidianae consuetudine — hoc enim καλεῖς valet — feminam nominare ἀλεκτρυών pariter ac marem,

ὀρᾷς, ἃ πάσχεις; τὴν τε θήλειαν καλεῖς
ἀλεκτρυόνα κατὰ ταὐτὸ καὶ τὸν ἄρρενα.

Ex quo sententiarum nexu consequitur, enuntiato altero particulam quandam desiderari, et causalem quidem, quoniam interrogatio oratoria: ὀρᾷς, ἃ πάσχεις; nihil aliud valet, quam quod simpliciter est: erras. In eam autem partem nec potest accipi τέ vocula, neque, quantum video, a quoquam accepta est, sed relata posteriori καί; quanquam ne hoc quidem vitio caret. Nam cum hoc pacto ita coniungi verba oporteret: τήν τε θήλειαν

καλεῖς ἀλεκτρυόνα καὶ τὸν ἄρρενα κατὰ ταὐτό, supervacanea essent haec ipsa verba: κατὰ ταὐτό. At vero, quoniam verba κατὰ ταὐτό antecedunt his: καὶ τὸν ἀρ., vocabulum καί necesse est ex illis aptum censeatur, hac sententia: feminam nuncupas ἀλεκτρυών pariter ac marem; quod si est, falsa est τέ particula. Rem, cuius ratio in promptu est, licet exemplis comprobatam videre ap. Valcken. ad Herodot. VII, 50., ubi addatur Schweighaeuseri annot., et Dukerum ad Thucyd. VII, 71., quos citat Matth. Gr. gr. p. 1258. Quocirca ut et illi, quod requiritur, satisfiat, declineturque, quod vitiosum est, τήν γε θήλειαν scribatur oportet. Iam vero oratio propter ipsam copulationis rationem, quae efficitur verbis: κατὰ ταὐτὸ καί, sic una continuaque comprehenditur sententiae perpetuitate, ut nullus detur requiescendi locus. Erravit igitur Hermannus, cum Elem. Doctr. metr. p. 139. sic interpungendo: ἀλεκτρυόνα, κατὰ ταὐτὸ, καί versus integritatem defenderet. Sed Reisigius etsi vere perspexit, cum Nubes, audientibus nobis, explicaret, distinctione abstinendum esse, incorruptum tamen existimavit versum esse iccirco, quia altero pede collocatus tribrachus certe vocabuli fine terminaretur; hoc enim modo item oriri caesuram quandam. Atqui cum sententiae intervallum plane deesse ostenderimus, istius quidem videtur caesurae non tanta posse vis esse, ut pronuntiandi facilitatem, tot brevium syllabarum impeditam concursu, satis sublevet.

Quid igitur? corrigendumne ἀλεκτρυῶ cum Porsono, cui cum incertus haesisset Elmleius in censur. Hecub. Pors. p. 249. Lips. et in censura Supplicum Hermanni p. 246. Lips., tandem assensus est annot. ad Medeam 898? Nam quod ἀλεκτρύω Porsono tribuit Kiddius ad Dawes. Misc. p. 447., ipsi potius Kiddio relinquendum est. Nec sane propterea, quod de contractione in hoc vocabulo aliunde non constet, haec forma repudianda est, quod Hermanno placuit l. c. p. 137. Licet enim contendere memoriam satis singularem in

Lexx. Segg. p. 363, l. 18., ubi ab Aeschylo αἰῶ ex αἰῶνα factum traditur; id quod Buttmannus commemoravit Addend. ad Gramm. max. p. 403. Atqui insolentia formae, qualis haec est, facile Aeschylo aliive tragico condonatur, Aristophanis trimetro, si quid video, non item. Nam contractio nominum Ἀπόλλων, Ποσειδῶν in quarto casu cum fere constanti usu recepta esset, ad horum similitudinem alias, opinor, formas accommodassent Attici, nisi hoc a vita communi visum esset abhorrere; sic autem visum est iccirco, quia paullo crassior ista contractio est, ac propterea constanter nonnisi certis quibusdam nominibus propriis adhibita, substantivis aliis rarissime. Verum etiamsi uno alterove loco apud prosarios Atticos ἀλεκτρυῶ reperiretur, ut tamen longe usitatior esset forma non contracta, in Nubibus plane reiicienda esset, quia quotidianam dicendi consuetudinem vituperaturus ea debebat Socrates forma uti, quae vere vulgaris esset.

Tenendum est autem, de vocabulorum vi et natura disputantem eam potissimum oportere vocabuli cuiusque usurpare formam, ex qua, cuius quodque sit generis declinationisve, luculentissime appareat. Itaque Strepsiades paullo ante neque ἀλλ' οἶδ' ἔγωγε τἄρρενα, κριόν, τράγον, ταῦρον — dixit, nec vero: ἄρρενά ἐστι κριός, τράγος ——, sed a reliquorum verborum constructione plane seclusa nomina posuit casu recto: κριὸς, τράγος — —; nec vero simpliciter verbum substantivum cogitatione addendum est, id quod Bernhardyus fecit Arte Syntact. Gr. p. 66. Namque hoc unum consectatur Strepsiades, ut cuius sint generis nomina, a Socrate intelligatur. Quocirca consentaneum videtur esse, ut Socrates nomen, in cuius genere definiendo a Strepsiade erratum arbitretur, eodem, quo Strepsiades antea, efferat casu. Atque hoc ipsum apprime stabilitur proximis; neque enim, quod proclive erat ad faciendum, verba ἀλεκτρυὼν καὶλεκτρυών ita ex prioribus aptavit, ut ἀλεκτρυόνα καὶλεκτρυόνα diceret, sed rectum rursus

usurpavit casum. Itaque ab Aristophane scriptum affirmamus:

ὁρᾷς, ἃ πάσχεις; ἦν γε θῆλειαν καλεῖς
ἀλεκτρυὼν κατὰ ταὐτὸ καὶ τὸν ἄρρενα.

Et ἀλεκτρυών quidem repertum est in cod. Harlei. 6. apud Dobreum, scriptum a prima manu; cui codicis memoriae plurimum tribuendum est vel propterea, quod solοecismum sibi scribae eximere Aristophani videbantur corrigendo: ἀλεκτρυόνα. Verum exempla similia etsi apud veterem scriptorem nullum, praeterquam ap. Grammaticos, extarent, horum auctoritate Socratis posset dictum, disserentis de rebus grammaticis, satis superque sustentari. Sed Vespis cum Philocleo initium narrationis cuiusdam, convivio adhibendae, commemorasset v. 1182:

οὕτω ποτ' ἦν μῦς καὶ γαλῆ,

consilii pravitatem Bdelycleo his perstringit v. 1185:

μῦς καὶ γαλῆ μέλλεις λέγειν ἐν ἀνδράσιν;

Cum nihil praeter vim, quae in illis nominibus inest, exagitet Bdelycleo, rectissime utitur nominativo; nam γαλῆ, quod pro vulgato γαλᾶς reposuit Invernizius, Ravennatis auctoritate niti, ostendit Bekkeri collatio, prudenterque susceptum est a Bernhardyo l. c., abs quo plura possunt de hoc genere peti. —

Haec igitur exempla ad metri rationem incorrupta habeantur oportet. De corruptis autem primo enumerabuntur loco, quae vel sententiae pravitate, vel dicendi naevo, vel alio quodam vitio deformata sunt, quibusque via et ratione emendatis, simul vitiosa ista metri species removetur. Acharnensibus v. 18.:

οὕτως ἐδήχθην ὑπὸ κονίας γε τὰς ὀφρῦς

γέ profectam a quodam esse, qui mensuram vocabuli κονίας ignoraret, primus vidit Porsonus in cens. Aristoph. Brunck. p. 572. Schaef., cuius sententiam schol. et cod. Rav. confirmat. Nam ut Reisigio, cui γέ loco

suo mota videbatur, retrahendaque post οὕτω, Coniectt. p. 93., ne assentiamur, tum eo adducimur, quod mensura voc. κονίας facile grammaticos fallere potuit, tum quod γέ particulam frequentissime a metricis correctoribus additam esse constat.

In versu Equitt. 32., quem Brunckius ex duobus Codd. sic edidit:

βρέτας; ποῖον βρέτας; ἑτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;

prius βρέτας satis Reisigius p. 74. sqq. ostendit a dicendi usu horrere. Nam alius cuiusdam dictum qui cavillatur, repetere solet vocabulum illud, quod admirationem excitabat, additó pronomine ποῖος. Cum igitur, qui deos negat esse, nec simulacra eorum agnoscat ulla, deorum contemptus usquequaque significatur, sive deorum ipsorum nomine cum cavillatione nuncupato, sive simulacri. Sed simulacrum rei, quae non est, nominasse, cum magis ridiculum sit, quam rem ipsam, non potuit hercle acerbius Niciae superstitionem perstringere Demosthenes, nisi irriso illó ipso, quod maxime ad risum movendum aptum esset. Haudquaquam igitur requiritur additamentum vocis θεῶν, quo Reisigius, cui Hermannus et Dindorfius astipulantur, versum redintegrare conatus est. Quanquam vehementer Dobreus nugatur, qui Reisigium refutaturus, aut ποίων θεῶν; scribi oportuisse, aut certe ποίων θεῶν βρέτας; censeat; illud enim longe tenuius esse interrogatione ποῖον βρέτας; ex prioribus consequitur, hoc autem, cum ad tenue illud ποίων θεῶν inepte vocab. βρέτας accedat, summam exilitatem habet, adeoque loquendi mori, quem Reisigius exemplis declaravit, repugnat. Plane autem admirabile est, quod idem Dobreus Reisigii emendatione, qua θεῶν una syllaba comprehendendum est pronuntiatione, metrum corrumpi opinatur, quippe satis prudentem Elmsleii annot. ad Eurip. Medeam 1129. de qua pluribus infra dicetur, negligentissime interpretatus. Sed cum in praestantissimo Iuntino exemplari

primo, quode cfr. Reisig. Coniectt. p. 204., duobusque Codd. reperiatur: *ποῖον βρέτας ἑτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς*; in Ravennate autem: *ποῖον βρέτας ἑτεὸν ἡγεῖ* (*ἡγῇ* Bekkerus) *σὺ θεούς*, utramque scripturam sic coniungendam existimamus:

ποῖον βρέτας; σὺ δ' ἑτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;

Vocabulum autem *ἑτεόν* cum *ἡγεῖ* necessario coniungendum esse, neque cum alia voce ulla, haec doceant exempla: Vespp. 8. *ἀλλ' ἢ παραφρονεῖς ἑτεὸν, ἢ κορυβαντιᾷς*; 184. *τίς εἶ ποτ', ὦνθρωπ', ἑτεόν*; coll. v. 836: *τί δ' ἔστιν ἑτεόν*; cfr. Nubb. 93. 819. 1505. Equitt. 740. 1251. al.

Eiusdem fabulae v. 184., antequam a Brunckio etiam magis corrumperetur, sic scriptum:

Κρατεῖν, ἕως ἂν ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος
αὐτοῦ γένοιτο.

soloecismo et metri vitio, deleta *ἄν* particula, Erfurdtius, Elmsleius, Reisigius liberarunt, quibus nunc accedit cod. Veneti auctoritas. Soloecismum antea Brunckius removebat eo, quod ex cod. C. reposuit *γένηται*; quo deceptus Anglus quidam, quem Dobreum esse Kiddius testatur ad Dawes. Misc. p. 447., transpositione hac: *ἕως ἂν ἀνὴρ ἕτερος α. β.* metrum voluit restitui. Quam quidem coniecturam vel propter inelegantem trium anapaestorum concursum iure improbavit Reisigius p. 63. Videtur autem *ἄν* inde profecta esse, quod duplex olim in libris extabat vocis *ἀνήρ* collocatio: *ἕως ἀνὴρ ἕτερος* et *ἕως ἕτερος ἀνήρ*; quae cum ita annotata esset in uno Cod., ut supra versum scriberetur priore loco $\overline{\alpha\nu}$, hoc pro *ἄν* particula habitum, in verba scriptoris illatum est. Quocirca haud scio, an collato v. 328., qui citatus est apud Kiddium: *ἀλλ' ἰφάνη γὰρ ἀνὴρ ἕτερος πολὺ σοῦ μιαρώτερος*, scribendum sit:

Κρατεῖν ἕως ἀνὴρ ἕτερος βδελυρώτερος.

Avibus 1008. cum auctoritatem valgatae:

Κἀμοί γε πειθόμενος ὑποκίνει τῆς ὁδοῦ —

Brunckius conaretur argumentando convellere, nihil profecit quicquam. Neque enim ὑποκινεῖν aut sententiae repugnat, cum in eandem partem accipi possit, atque ὑπάγοιμι — ἂν v. 1014., et ὑπάγετε — τῆς ὁδοῦ Ranis 174, quem versum Berglerus citavit ad h. l., aut propterea, quod cum genetivo τῆς ὁδοῦ coniungi nequeat, falsum est, cum genetivus τῆς ὁδοῦ neque huic verbo referri debeat, neo Ranis verbo ὑπάγετε; neque ei, quod repositum est Avibus a Brunckio: ὑπαποκίνει, sed tantundem valeat at πρὸ τῆς ὁδοῦ. cfr. Bergl. ad Pacem 1154. Enimvero potuit ex Aristophanis dicendi usu ista coargui scriptura. Ostensum est enim a Reisigio Coniectt. p. 204., solere Aristophanem non πείθου adhibere adhortationi, sed πιθοῦ. Itaque cum h. l. sententia Pisthetaeri haec sit: πιθοῦ μοι καὶ ὑποκίνει, participium praesentis vitiosum esse consequitur. Quod cum libros tum MSS, Ravenn., Paris. A., tum typis expressos occupasset, inserta est ad metrum emendandum γέ particula, et post verbum decompositum ὑπαποκίνει, quod Ravennatis, Veneti et cod. A. fide pititur, oblitteratum. Itaque vere nunc scribitur: κἀμοὶ πιθόμενος ὑπαποκίνει —. Sed haud raro negligentia scribarum in verbis decompositis prior posteriorve praepositio praetermissa est. Aristophanis Thesmophoriaz. 718. 719.

ἀλλ' οὐ μὰ τὼ θεὼ τάχ' οὐ
χαίρων ἴσως ἐνυβριεῖς

certum est antepenultimam verbi ἐνυβριεῖς produci non posse; neque enim in vulgaribus tantum metris iambicis, trochaicis et anapaesticis productionem id genus respuunt Comici constanter, exceptis Epicorum, Lyricorum et Tragicorum imitationibus, sed etiam in dimetris aliisque versibus, velut creticis. Quanquam, quod ad Tragicorum imitationem attinet, a Comicis productionem brevis

syllabae abhorrere intelligitur, ubi ne Tragicis quidem brevem vocalem, quae mutam et liquidam antecedit, producere licuit. Itaque cum Porsoni praeceptum, quo brevem vocalem ante mutam et liquidam sequentis vocabuli in vulgaribus quidem Tragicorum versibus longam fieri negavit, nondum confutatum a quoquam sit, quanquam leviter a quibusdam impugnatum, velut a Seidlero ad Eurip. Electr. 1053., nec, nostra sententia, redargui queat, eandem consequitur productionis speciem a Comicorum versibus, qui in Tragicis versantur exagitandis, removendam esse. Perperam igitur Aristophanis versum, fragm. inc. XXXIX. Dind.:

Ἴκτινα παντόφθαλμον ἅρπαγα τρίφων

intactum reliquit Guil. Dindorfius. Nobis, posthabita Reisigii coniectura Coniectt. p. 112., vere videtur Kiddius correxisse ad Dawes. Miscell. p. 356.: ἅρπαγ' ἰκτρίφων. Porro iniuria Acharnens. 515. haec:

ἰρεῖ τις, οὐ χρῆν· ἀλλὰ τί χρῆν, εἴπατε —

tutati sunt Reisigius Coniectt. p. 101., Kiddius l. c. p. 358., Dindorfius Comment. in Aristoph. Vol. V. p. 148. et in exempl. Teubn., Matthias Eurip. Fragm. p. 341. Post idem Dindorfius, cum de emendandi necessitate sibi persuasisset, in exemplari Acharnensium seorsim edito, codices Laurentianos duo secutus, scripsit: ἀλλὰ τί ἐχρῆν εἴπατε. Atqui hoc non potuit aut ab Euripide dici aut ab Aristophane. Quid enim? eandemne verbi formam eodem versu temere variatam Graecorum auribus probatam existimas? Accedit, quod formam χρῆν alteri ἐχρῆν praetulisse Atticos, vere, ut arbitror, Elmsleius tradidit ad Eurip. Heracl. 649. Longe autem infelicior Tyrwhitti coniectura est, commemorata Kiddio Addend. ad Dawes. Misc. p. 618: ἀλλὰ τί οὐ χρῆν; εἴπατε. Perspicitur enim ex proximorum conformatione, non potuisse interrogari: „cur Lacedaemonii facere non debebant, quod fecerunt? sed: „quid tandem aliud facere debebant? Praeterea anapaestum quarta

collocatum sede quis ferat in senario tragico? At verene illa: ἀλλὰ τί χρῆν, εἶπατε, Euripidis sunt verba, an Aristophanis propria? Nam cum a schol. annotata haec sint: ἐρεῖ τις, οὐ χρῆν] καὶ τοῦτο ἀπὸ Τηλέφου Εὐριπίδου, unde tandem apparet, integrum potius ab schol. versum spectatum esse, quam versus initium? Sciendum est autem, ubi nonnulla tantum verba ex versu alius poetae in suum usum convertat Aristophanes, nec totum versum, in lemmatis scholiorum tot s o l e r e verba ascribi, quot alius sunt, nec pauciora plurave; quanquam non desunt exempla singula, quae ab hac norma abhorreant. Ad Acharnens. v. 471.: μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες, ὦ θεώμενοι, schol. haec habet: μή μοι φθονήσητ' ἄνδρες] ἐκ Τηλέφου Εὐριπίδου· μή μοι φθονήσητ' ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι; ad Ranar. v. 281.: οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ἔσθ', ὡς Ἡρακλῆς, schol.: οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον] πρὸς τὰ ἐκ Φιλοκτήτου Εὐριπίδου· οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ; cfr. ad v. 1237. 1243. 1249., ad Plutum 601. coll. Dindorfii annot., ad Nubb. 890. Reis. Contra, ubi alius cuiusdam poetae versum integrum ita usurpat, ut plane nihil mutatum sit, in lemmate una et altera voce ex initio versus posito, deinde totum alii deberi versum, perspicue annotatur. Itaque in schol. ad Equitt. 1248. est: ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον] ὁ στίχος ἐκ Τηλέφου Εὐριπίδου; cfr. ad Vespp. 1112., ad Pacem 723., ad Ran. 64. 848. Lemmata autem in scholiorum exemplari Aldino, quippe magnam partem hausta ex Codd., de quo v. Dindorf. Praef. ad scholior. Vol. III. p. VI., fide non destituuntur. Quocirca optimo iure videtur dubitari posse, num vel Equitt. v. 1254.: κυλίνδετ' εἴσω τόνδε τὸν δυσδαίμονα, ad quem schol.: κυλίνδετ' εἴσω] — ταῦτα δὲ ἐκ Βελλεροφόντου Εὐριπ., vel Lysistratae v. 706. et 713., num versus, inquam, id genus toti referendi ad Euripidem sint, id quod fecit cum Barnesio Matthias. Cavendum est enim vehementer, ne iccirco, quod versus reliqua pars et metro et dicendi ge-

nere ad tragoediae similitudinem accedit, integer versus a tragico profectus censeatur; comicos enim poetas consentaneum est, certa de causa tragicam gravitatem imitaturos, si quiddam occurreret ex tragici dicto, quod quidem accommodatum esset, libenter accepisse, reliqua autem deprompsisse ex suo ingenio. In Acharnensibus igitur cum non amplius reformidandus sit quarto pede anapaestus, Aristophanem sic scripsisse coniicimus:

ἐρεῖ τις, οὐ χρῆν· ἀλλὰ τί γὰρ χρῆν; ἔπατα.

Facile enim γάρ intercidere ante χρ potuit, neque anapaesti anacrusis, duobus contenta vocabulis, ullam h. l. offensionem habet.

Sed de Thesmophoriazusarum versu coniecturam novi nullam, nisi Raperi, proditam ap. Kiddium l. c. p. 617.: Χαίρων ἴσως σύγ' ἐνυβρίσεις; soloecismum enim in Attico scriptore non correxit. At non dubitamus, quin ab Aristophane scriptum sit: ἐπενυβρισεῖς; quod quidem compositum, etsi non commemoratum a Lexicographis, simillimo verbo ἐπεγγελᾶν satis firmatur. Equitibus autem 945. sqq.:

Καὶ σὺ τὸ τάλαντον λαβεῖν
βουλόμενος ἐ —
σθίων ἀποπνιγείης.

Guil. Dindorfius verbum esse decompositum restituendum suspicatus est. Quanquam multis ante annis Elmsleius ἐπαποπνιγείης scribi voluit, in censura Hecub. Porson. p. 273. Lips. Probum itemque sententiae conveniens est ἐναποπνιγείης. At vero, cum votum, quod Isiciarius inde a versu 935. facit, egregia sit arte a poeta ita institutum, ut, etsi versus duodecim orationisque membra complura complectatur, ex ultimo tandem vocabulo ἀποπνιγείης, cuius causa factum sit, appareat, appositum cummaxime videtur Porsoni inventum esse: ἄρ' ἀποπνιγείης.

Avibus 1272. vel Guil. Dindorfius vulgatam conservavit:

σκυτάλι' ἐφόρουν. νυνὶ δ' ὑποστρέψαντες αὖ —.

At concinnitate orationis effici, ut *uno* verbo significetur res, nec duobus — dixit enim poeta ante: ἐλακονομάνουν, ἐκόμων, ἐπείνων, ἐρρύπων, ἐσωκράτουν — scite Dobreus annotavit, verissimeque ex Porsoni collegit annotatis, coniectum ab eo esse: ἐσκυταλιοφόρουν. νῦν δ'. — Hoc igitur recipiendum erat.

Eiusdem fabulae versu 1493.:

ἀπὸ γὰρ ὀλέσεις, εἴ μ' ἐνθάδ' ὁ Ζεὺς ὄψεται —

Brunckius, quin ulla tactus esset metri suspicione, ὀλέσεις in ὀλεῖς, quippe quod magis esset Atticum, mutandum censuit. Atqui sola forma ὀλῶ, quantum scio, in consuetudine Atticorum versatur, planeque reiecta est altera; neque enim unquam persuadere mihi potui, licentur Atticos nunc accepisse formas eiusmodi, nunc respuisse. Notum est autem, multa etiamnunc in hoc genere diligenti esse lectioni relicta. Sic, ut unum commemorem, futurum καλῶ tribus tantum exemplis Buttmannus confirmavit Gr. max. V. I. p. 403., aliisque duobus Matthias V. I. p. 323. Addere poterant Aristoph. Ranis 298. Euripid. Ione 1155. Herm. coll. Herm. Praef. p. XVIII., Sophocl. Trachin. 548., nam quod ex Iuntino exempl. altero Hermannus recepit: καλεῖται, confirmant nunc codd. Laurent. a. et b., Electr. 970., citat. ab Hermanno ad Trachin., praetereaque doctam citare Dobrei annot. ad Plut. 965, qua quattuor exemplis καλέσω coniunctivum Aoristi esse ostendit; cuius generis quo plura collecta fuerint, eo magis duorum exemplorum ap. Aeschinem et Lycurgum, v. Buttm. Add. p. 434., fides infringetur. Sed, quod ad futurum ὀλέσω attinet, cum improbatum a Buttmanno esset V. II. p. 198., reprehensus est a Poppone in censura Grammatices, quae extat in Ephem. Ienenss. anni 1829. pl. 147.; certissimum enim formae ὀλέσω documentum reperiri in Platonis comici versu ap. Ath. III. p. 119. B.:

ὥσθ' ἅττ' ἔχω, ταῦτ' ἐστί. ταρίχους ἀπολέσω.

At videtur futurum istud sententiae repugnare; namque complures res cum habuisset aliquis, salsamentis abiectis, ἅττ' ἔχω, ταῦτ' ἐστί dicit. Quodsi rectum esset ἀπολέσω, dictum oporteret esse, ut a metro recedatur: ὥσθ' ἅτθ' ἕξω, ταῦτ' ἐστί. ταρ. ἀπολέσω. Quocirca a Platone dictum arbitramur:

ὥσθ' ἅττ' ἔχω, ταῦτ' ἐστὶ, ταρίχους ἀπολέσας.

Constat enim de frequentissima harum terminationum confusione, et hoc quidem loco exquisitius dicendi genus, quod leni cernitur hyperbato, vel intelligentem potuit librarium fallere. — Non dubitamus igitur, eandem formam reddere alii cuidam eiusdem Platonis dicto, quod, a Lobeckio commemoratum ad Phrynich. p. 746., scholiasta conservavit ad Homeri Iliadem ap. Koenium ad Gregor. Corinth. p. 48. 49. Schaef. Scholiasta exponens de eo, quod verba εἰ ἂν ἔχοι nonnunquam cogitatione addenda sunt, Platonis utitur testimonio sic: Πλάτων ἐν Ἑλλάδι. εἰ μὲν σὺ τὴν θάλασσαν ἀποδώσεις ταύτην ἐκών. εἰ δὲ μή, ταῦτα πάντα συντριαίνων ἀπώλεσα; ap. Eustathium autem ultima sic scripta reperiuntur: συντριαινῶν ἀπολέσω. Verba plane soluta multi metro astringere laborarunt; ex quibus, quid Wakefieldius et Wassenberghius, a Schaefero citati, tentarint, ignoro. Bastius autem ad Gregor. Cor. cum sic versus redintegrandos existimaret:

εἰ μὲν σὺ τὴν
θάλασσαν ἐκὼν ταύτην ἀποδώσεις. εἰ δὲ μή,
ἅπαντα ταῦτα συντριαινῶν ἀπολέσω.

elegantiae Platonis, ut alia taceamus, haud sane optime consuluit. Nam articulo, quem nomen sequitur principio proximi trimetri, nec Tragici versum terminari voluerunt, ut apud Sophoclem unum tantum extet exemplum, teste Hermanno ad Antigon. 405., quodque sua excusatione non careat, nec vero Comici. Aristophanes, apud quem unus id generis versus est, Ecclesiaz. 473. 474. οὐ συκοφαντεῖν, οὐ διώκειν, οὐδὲ τὸν δῆμον

καταλύεω, videtur ad formulae publicae ordinem certum sese composuisse. — Tum Meinekius tacite correctionem adhibuit hanc, ad Menandr. p. 238.:

εἰ μὲν οὖν ταύτην σὺ τὴν θάλασσαν ἀποδώσεις ἐκών,
εἰ δὲ μή, τὰ πάντα τοῦτα συντριαινῶν ἀπολέσω.

qua, ut par erat, reprobata, post antiquitus scriptum coniecit, Quaest. Scen. II. p. 16.:

εἰ μὲν σὺ τὴν θάλασσαν ἀποδώσεις ἑκών,
εἰ δ' οὖν, ἅπαντα συντριαινῶν ἀπολέσω.

in qua quidem emendatione in eo videtur peccatum esse, quod voces omni liberae suspicione eiectae sunt. Aut vehementer fallor, aut ab scholiasta praetermissa sunt, quae facile praetermitti potuerunt; lacunarum igitur signis ascitis, in hanc speciem versus restituimus:

εἰ μὲν σὺ τὴν θάλασσαν * * * * *
ταύτην ἀποδώσεις * * * ἑκών. εἰ δὲ μή,
ἅπαντά ταῦτα συντριαινῶν ἅρ' ἀπολῶ.

Priore loco aut nomen eius, cui haec minatur Neptunus, ut videtur, aut conviciandi quaedam vox videtur intercidisse; altero fortasse inserendae voces: αὖ πάλιν, quae collocatio etsi rarior est altera πάλιν αὖ, notante Schaefero Melett. critt. p. 39., exemplis tamen idoneis confirmata est a Porsono Advers. p. 232. Lips. Restat forma ὀλέσω in Euripidis Helenae versu 894., de quo conferenda est Matthiae annotatio.

Sed, ut ad Avium versum revertamur, vitium vulgatae item Codd. monstrant, ex quibus in Paris. A., Vaticano, Vossiano, Veneto ἀπὸ γὰρ ὀλέσει legitur, in Ravennate autem: ἀπὸ γὰρ μ' ὀλέσει; ὀλέσει enim ortum est ex ὀλεισει, perperam scribendo geminata εἰ particula; quod si est, patet, accepto Ravennatis μ', scribendum esse: ἀπὸ γὰρ μ' ὀλεῖς cum Meinekio Curr. critt. p. 15.; in ὀλεῖς autem consentiunt Porsonus, Erfurdtius, Reisigius. Neque in conformatione sententiae inest quicquam, quod vel rationi non consentaneum, vel non bene Graecum sit. Prometheus, ne appelles, inquit, nomen meum; nam perdes me, si efficies

appellando, ut me Iupiter aspiciat. Constat enim, haud raro Graecis Latinisque eventum rei cuiusque declaratum esse, causae, cui eventus subiectus est, praetermissa commemoratione. Sed Guil. Dindorfius Ravennatis memoria ita usus est, ut ἀπὸ γὰρ ὀλεῖ μ', εἴ μ' — scriptum coniiceret atque in continuationem verborum reciperet. Quae quidem coniectura ab elegantia dicendi non mediocriter commendatur, cum multo id studio consectati sint Graeci, ut obiectum, ad duo pertinens enuntiata, posteriori reservarent; coniunctis enim hoc pacto, quae dissoluta sunt natura sua, simplicitate excellit oratio aptaque verborum circumscriptione. Quaedam huius generis dicta acute pertractavit Reisigius Coniectt. p. 132. sqq.; affinia Schaeferus Addend. ad Porsoni Hecub. p. 93. sqq. Haud raro ita Plato, velut Menone p. 82. C. HSt.: εἰ ἦν ταύτη δυοῖν ποδοῖν, ταύτη δὲ ἑνὸς ποδὸς μόνον, ἄλλο τι ἅπαξ ἂν ἦν δυοῖν ποδοῖν τὸ χωρίον; — cfr. ibid. p. 98. D. In Phaedone p. 62. D. interpungendum est: ἐν ᾗ ἐπιστατοῦσιν αὐτῶν, οἵπερ ἄριστοί εἰσι τῶν ὄντων ἐπιστάται θεοί, quod non perspexit Heindorfius. Libro IV de Re publ. p. 428. C.: Οὐκ ἄρα διὰ τὴν ὑπὲρ τῶν ξυλίνων σκευῶν ἐπιστήμην βουλευομένη, ὡς ἂν ἔχοι βέλτιστα, σοφὴ κλητέα πόλις, recte Stallbaumius et Schneiderus tutati sunt βουλευομένη; agnoscenda est enim, si usquam, duarum constructionum confusio. Eadem de causa in Eurip. Hippolyt. 86. sic distinguendum: τέλος δὲ κάμψαιμ', ὥσπερ ἠρξάμην βίου, et v. 1018. 1019.: εἰ μὴ τὰς φρένας διέφθορε, θνητῶν ὅσοισιν ἀνδάνει μοναρχία. De Latinis addo Marc. Tullium I. de R. P. c. 28. §. 44.: Illi autem Massiliensium paucorum et principum administrationi finitimus est, qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta virorum consensus et factio, Bruto cap. 15. §. 60.: Nam Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis post illos, quos dixi, consules mortuus est, Catone censore.“ ubi corrupit Ciceronem Orellius scribendo „consuli-

bus.“ Itaque I. de R. P. c. 27. §. 43.: Si Athenienses quibusdam temporibus, sublato Areopago, nihil nisi populi scitis ac decretis agebant, — quoniam distinctos dignitatis gradus non habebat, non tenebat ornatum suum civitas,“ verissime Heinrichius scripsit: habebat; Orellius non est, inquit, prorsus necessaria emendatio. — Verum haec istius coniecturae elegantia plane obscuratur intolerabili sono syllabarum λει μ' εἰ μ', quem ab Aristophanis arte alienissimum esse affirmo. Non ignoro equidem, frequentissime ab Atticis ἂν ἄνδρες, ἂν ἄνθρωπος copulari, id quod Schaeferus docuit Melett. critt. p. 49. et 123., non ignoro, duo id genus exempla de Aristophane Porsono annotata esse ad Phoeniss. 112., similiaque, ut με μη saepius coniuncta. Dixit adeo Aristophanes Nubb. 77. initio versus: ἦν ἦν ἀναπείσω, quocum conf. Avibus 1530.: ἦν γ' ἦν σὺ —. Eodem pertinent frequentes eiusdem vocabuli geminationes, velut Lysistr. 133.: ἄλλ' ἄλλ' ὅ τι βούλει, et Vespis 353.: ἄλλ' ἄλλο τι δεῖ; Equitt. 828.: παῦ παῦ, ut recte Elmsleius scripsit, Pace init. Αἰᾷ' αἶρε μᾶζαν, Ranis 588.: οἶδ', οἶδα τὸν νοῦν, quae repetuntur Pluto 1080. Item offensione caret Lysistr. v. 465.: χολὴν ἐνεῖναι; νὴ τὸν Ἀπόλλω καὶ μάλα, quanquam alia re adducor, ut ab Aristophane scriptum existimem:

χολὴν ἐνεῖναι; ναὶ μὰ τὸν Δία καὶ μάλα.

Sed quod Lysistr. 831. scripserunt Florens Christianus, Bentleius, Brunckius, Dindorfius:

ἄνδρ' ἄνδρ' ὁρῶ προσιόντα παραπεπληγμένον

admodum durum ad aures accidit; revocandum est potius ἀλλ', de quo item Florens Christianus admonuit. Nec defendi illis arbitror Dobrei coniecturam in Pluti v. 980.:

ἐγὼ δ' ἐκείνῳ πάντ' ἂν ἀνθυπηρέτουν.

In exempll. Aldino, Iunt. I. et II., codd. Arundel., Harlei. 5., tribus Cantabb., Veneto et tribus Mutinn.

est: ἐ. δ. ἐ. πάντα ταῦθ' ὑ., in Ravennat., Paris. A. et Cantabr. 4.: ταῦτα πάνθ' ὑ. Haec, utcunque collocantur, vitiosa sunt, quanquam plus tribuendum auctoritatis est tribus Codd., inter quos Rav., quam reliquis omnibus; maluit enim Aristophanes ταῦτα πάντα dicere, quam πάντα ταῦτα; cfr. Equitt. 176. Pace 1298. Avibus 761. Lysistr. 584. Eccles. 470. Plut. 516. 517., contra Equitt. 99., Pace 319. Et enim futilia sunt, quibus nonnulli illa tutati sunt. Egregie autem Hemsterhusio, qualis deberet esse versus sententia, intellectum est. Vetulam enim patet iuveni, qui ad suam voluntatem sese accommodaret usquequaque, rursus omnia gratificatam esse, quanquam utriusque diversa erant officia. Quocirca de sententia non videtur cogitasse, cum ταὐτὰ ταῦθ' corrigeret Elmsleius ad Sophoclis Oedip. R. 1522., ut ab hac quidem parte longe meliora sint ceteroquin incredibilia Hotibii commenta, in quorum altero refellendo mire Beckius lapsus est. Hemsterhusii autem coniectura ingeniosa: ἐγὼ δ' ἐκείνῳ πάντα γ' ἀνθυπηρέτουν videtur reiicienda esse tum propter γέ particulam sanequam inutilem, tum quod eis nititur codd., in quorum numero Ravennas non est; in quo, etsi non multum propter summam similitudinem litterarum in utroque vocabulo, aliquid tamen momenti inesse existimamus. Videmur autem invenisse, quod, Ravennatis memoriae conveniens, etiam sententiae satisfaceret:

ἐγὼ δ' ἐκείνῳ γ' αὖ τὰ πάνθ' ὑπηρέτουν.

Coniunctionem particularum δέ γ' αὖ duobus Aristophanis exemplis Reisigius illustravit Coniectt. p. 122.; eisdem, si recte memini, saepius Plato utitur, velut Gorgia p. 473. B. Atqui ab his similibusque istud λει μ' ει μ' longissime recedit, nec minuitur insolentia eo, quod ad diversos pedes singulae syllabae pertinent; nam cum diphthongi ει repetita pronuntiatio per se non expeditissima sit, accedit, quod in utraque syllaba segreganda est consonans littera una, quin cum proxi-

mo vocabulo coniungi possit; itaque vox intra duas syllabas ter vel potius quater inhibenda est; neque enim arbitror quenquam syllabam λει μ' ita elocuturum esse, quasi altera sit syllaba formae λέλειμμαι, nec εἴ μ' ut εἶμ'. Sed video nunc, pugnatum a me esse contra gravissimum harum rerum iudicem; nam quam Guil. Dindorfii putabam coniecturam esse, Hermanno debetur Elem. D. M. p. 131. Nihilo tamen secius in nostra perseveramus sententia.

In Lysistrata v. 20. Brunckius, accepta ex cod. Paris. A., correctionibus futilissimis admodum inquinato, particula γέ, sic scripsit:

ἀλλ' ἕτερα γὰρ ἦν γε τῶνδε προυργιαίτερα.

At vero γέ, si locus esset particulae ullus, post ἕτερα collocandam fuisse patet. Itaque, remota librarii cuiusdam miserrima correctione, ne falsa quidem metri specie versus laborat. Proinde cum codd. optimi, Rav., Augustan., et ex. Iunt., pariterque codd. B. et Trin. congruenter habeant: ἀλλ' ἕτερα γὰρ ἦν, unicuique probetur necesse lenissima Elmsleii emendatio, ann. ad Acharn. 323. exprompta: ἀλλ' ἕτερα τἄρ' ἦν τῶνδε προυργ., quam susceperunt, accentu mutato, Hermannus et Dindorfius. Quocirca praetermittere licet infelicia Porsoni conamina, et quae Reisig. de hoc versu disputavit p. 20. sqq. Verum dubitatio quaedam residet in animo de ultima versus voce; in cod. enim B., Vatic., in diversa scriptura, quae annotata est in cod. Trin. et a scholiasta, προύργιαίτατα proditum est, quod lemmate schol. et explicatione: προύργιαίτατα] ἀναγκαῖα confirmatur. Quod si substituatur comparativo, insigniter videtur sententiae vis augeri. Gravitate quasi regia Lysistrata, at vero, inquit, quae longe discrepant ab his, maxime curanda sunt feminis; sic enim τῶνδε pendet ab ἕτερα, quod cum facile negligi potuerit, superlativum expulit comparativus. Platonis Protagora p. 309. C. cum Socrates Alcibiade se pulchrio-

rem quendam repperisse confirmasset, hocque miratus familiaris esset, πῶς δ' οὐ μέλλει, inquit ille, ὦ μακάριε, τὸ σοφώτατον κάλλιον φαίνεσθαι; Heindorfius, quia sententiam quandam generalem haec referant, Ficinusque interpretatus sit: quid prohibet, quominus quod sapientius est, sit et pulchrius, comparativum revocari iubet; sequitur Bekkerus, etsi nulla nixus librorum auctoritate. At Socratem quidem decebat dicere: quod sapientissimum est, pulchrius h. e. praestabilius est reliquis omnibus; ceteris Atheniensibus non ita, opinor, probata fuit belli Peloponnesiaci aetate sapientia recondita, ut hoc: τὸ σοφώτερον κάλλιον φαίνεται usu tereretur quotidiano. — Apud Aristophanem Pluto v. 67.:

Καὶ μήν, ὃ λέγω, βέλτιστόν ἐστι, δέσποτα.

ex Rav. auctoritate revocandum est βέλτιον. Chremylus enim cum antea minatus esset Pluto: ἢν μὴ φράσῃς γὰρ, ἀπό σ' ὀλῶ κακὸν κακῶς, iocose servus se praestantius quiddam repperisse clamat: ἀπολῶ τὸν ἄνθρωπον κάκιστα τουτονί. Comparativus autem oblitteratus est propter mensurae ignorationem.

Thesmophor. v. 730. cum in vett. exempl., Rav. et fortasse Augustano sic scribatur:

ὕφαπτε καὶ κάταιθε. σὺ τόδε τὸ Κρητικὸν
ἀπόδυθι ταχέως.

vitium plane coarguit defectus δέ particulae; quando enim ab uno convertitur oratio ad alium, non licet hoc simplici declarare pronomine, sed adversativa accedat oportet; priora autem ad matrem dicta sunt, postrema ad personatam filiam. Hoc igitur consecutus est Toupius Emendd. in Suid. V. I. p. 363. scribendo: σὺ δὲ τὸ Κρ. Toupio enim hanc laudem tribui malimus, quam Kustero, qui in eandem emendationem incidit somnians. Atque hoc stabilitur Suidae codice ap. Porsonum et, ut videtur, ex. Mediolan., in quo σὺ δὲ τόν est. Enimvero nescio an vetere illa et a Rav. contesta-

ta scriptura alio potius ducamur; assumpta enim δέ particula, et τόδε in τοδί converso, plana sunt postrema. Sed quid de prioribus? dele καί ante κάταιθε et trimetrum habebis integerrimum:

ὕφαπτε, κάταιθε. σὺ δὲ τοδὶ τὸ Κρητικόν —

Iam in hanc partem explicamus scripturam ex. Mediolan.; TON enim est τοδί. Ad sententiam autem aptissimi videntur imperativi esse, particula non copulati; acerbe enim cavillatus Mnesilochus, succende, inquit, quantum libet; ego interea filiam tuam interficiam. cfr. ann. p. 54.

Ranis 474.:

Ἐχιδνά θ' ἑκατοντακέφαλος, ἢ τὰ σπλάγχνα σου —

Attica forma ἑκατογκέφαλος, quam olim Bisetus coniectura assecutus erat, a Brunckio reposita est. Consentiunt Rav. et reliqui codd. Bekkeri, Pariss. et alii.

In Platonis comici versibus ap. schol. ad Aristoph. Nubb. 109.:

Ὦ θεῖε Μόρυχέ τε, νῦν γὰρ εὐδαίμων ἔφυς
καὶ Γλαυκέτης, ἢ ψῆττα καὶ Λεωγόρας
οἳ ζῆτε τερπνῶς, οὐδὲν ἐνθυμούμενοι.

τέ particulam aspernati sunt olim, licet causa non explicata, Casaubonus et Berglerus ad Pacem 1008., quorum prior eam praetermisit, alter in τό mutavit. Casaubono assensi sunt Bentleius, Hermannus in ann. ad schol. et Elmsleius ad Acharn. 887. Sed cum ap. Suid. s. v. Φασιανοί scriptum reperiretur Μόρυχε τέως γάρ, hoc cum Ruhnkenio ad Tim. p. 183. accepit Reisig. p. 72. Verum, ut a metri specie parumper recedamus, enuntiatum causale ineptum est. Nam sive est: modo enim felix eras, sive: tamdiu enim felix eras, si rectum esset, Morychum consequeretur non amplius felicem esse; verum v. 3. praesenti loquitur poeta: οἳ ζῆτε τερπνῶς; quodsi hoc versu praeteritum tempus extaret, totum illud enuntiatum plane supervacaneum foret. Deinde nulla perspicitur causa, cur illud: „mo-

do felix eras" ad Morychum potius pertineat, quam ad Glaucetam et Leogoram. Sed quoniam enuntiatum illud causale est, num in prioribus quid insit, cuius causa reddatur, videndum est. Animum igitur advertit vocab. θεῖος, quod de homine nequam haud facile temere dictum videatur. Itaque Suidae scriptura nixi, cum quo iccirco, quod ως et ων saepe confunduntur, schol. Arist. congruere censendus est, a Platone scriptum coniicimus:

Ὦ θεῖε Μόρυχε, θεοῦ γὰρ εὐδαίμων ἔφυς

Hoc pacto inest lusus, qui in nomine cernitur, haud mediocris, cum Dionysus a Siceliotis Morychus appellatus sit; ad eundemque lusum voc. εὐδαίμων spectat, v. Elmsl. ad Eurip. Bacch. 13. Τέως autem et θεοῦ facile confundi potuisse, et θεοῦ una syllaba contineri, in propatulo est. Constructionis φῦναι τινὸς alia exempla Bernh. habet Art. Synt. Gr. p. 137.

Eubulum Athenaei IV. p. 169. F.:

Τρύβλια δὲ καὶ βατάνια καὶ κακκάβιχ
καὶ λοπάδια καὶ πατάνια πυκινὰ, ταρφέα.

metri corruptela, qua affectum arbitrabantur, liberarunt Erfurdtius et Hermannus, deleta prima alterius versus vocula; sed cum κακκάβια alteram syllabam corriperet, ad priorem esse versum καί trahendum Meinekius docuit Curr. critt. p. 20. 21., cui assensus est Hermannus p. 136, Dimetri autem elegantissimi, in quos Reisigius p. 27. haec redegit, propter ultimam syllabam voc. ταρφέα probari nequeunt.

In Ephippi v. ap. Athen. VIII. p. 359. A.:

Α. Ἀλλ' ἀγόρασον εὐτελῶς
ἅπαντα γὰρ ἱκανόν ἐστι. Β. φράζε δή ποτε.

mirum est, quod nemo ante Porson. Adv. p. 93. L. orationem emendarit. Duplex autem cum pateat corrigendi via, ut aut cum Porson. et Hermanno p. 129. ἱκάν', aut cum Meinek. Curr. critt. p. 15., quem tacite Dindorf. sequitur, ἅπαν scribatur, altera ineunda est

propterea, quod singulari numero etiam magis tenuitas declarari videtur. Sed fine versus verba δή ποτε, quae exempli. Veneto et Commel. debentur, neque codd. fide nituntur, et ad sententiam inepta sunt. Cum igitur in Codd. A. B. P. φράζεο δέ ποτε sit, Gnil. Dindorf. scribendum suspicatus est: φράζε δ' ὅτι ποτε, in quo δέ particula aliquid offensionis habet. Sed ad codd. memoriam propius hoc accedere videtur: φράζ' ὦ δέσποτα. Dubitari enim nequit, quin servus sit, quocum iuvenis colloquitur. Vocativum autem δέσποτα memini alicubi in easdem particulas transisse. Apud Menandr. in Stob. Florit. LXII, 10., Mein. p. 215.:

Τί διακενῆς εἰ χρηστός, — ὁ δεσπότης
αὐτὸς ἀπολαύει πάντα, σὺ δὲ μὴ λαμβάνεις.
σαυτὸν ἐπιτρίβεις, οὐκ ἐκεῖνον ὠφελεῖς.

pro δεσπότης in codd. A. et B. est δ' ἔπος τῆς. Transcripsimus autem hos versus, ut, quantum posset, ad eos emendandos conferremus. Altero versu ἀπολαύει Gaisfordius ex Codd. A. et B. se vestigiis, habent enim ἀπολλύει, eruisse dicit. At si quis dominus ex servi labore voluptatis fructum capit, profecto ὠφελεῖται ab illo; quocirca cum tertio v. dicatur: οὐκ ἐκεῖνον ὠφελεῖς, de voluptatis fructu v. altero cogitari non posse intelligitur. Gaisfordii igitur ἀπολαύει et magis Iacobsii ἀπολάπτει, prodítum Lectt. Stobb. p. 101., reiiciatur necesse est. Sed nihil quicquam servus optimus prodest domino, qui fortunas suas, sive ventri vel penī deditus, sive intentus aliis rebus inutilibus, temere perdit; ex quo consequitur, verbum requiri, in quo perdendi significatus insit. Recte igitur Meinekius vidit non negligendam codd. scripturam esse, sed erravit in eo, quod futuro tempore ἀπολεῖ dedit; deberent enim isto pacto item reliqua verba ad idem tempus spectare. Itaque nobiscum transferas vocabulum unum in eum locum, quo ut ponatur, oppositionis gravitas et concinnitas postulat, sic: ὁ δεσπότης — πάντ' αὐτὸς ἀπολλύει, σὺ δὲ μηδὲν λαμβάνεις, et ἀπολλύει retinebitur,

valdeque elegans orietur, quae in relatione vocabulorum oppositorum cernitur, alternatio. Formas autem, velut ἀπολλύει, proprias esse novae comoediae, Porsonus tradit ad Eurip. Med. 744, etsi ne a veteribus quidem Atticis plane reiectae sunt, ut exempla docent ap. Buttm. V. I. p. 535. ann.; μηδέν autem cum Meinekio scripsimus, cum δ littera, qua declarata est syllaba δεν, a proximo λ absorpta esset; nam incommodum est in Gaisfordii scriptura, ex priore πάντα ad alterum enuntiatum retrahi τινά. Restat, ut conamina criticorum in priore versu breviter perstringamus. Ac Bentleii quidem additamentum εἶθ', prorsus alienum est, quoniam non quod consectarium est ex prioribus, sed quo priorum causa continetur, declarandum est. Tum Grotii εἰ feliciter inventum susceperunt recentiores, hiatumque ab eo relictum triplici modo tollere conati sunt, Meinekius μέν part. inserta, quam quomodo tueatur, non assequor, Iacobsius γάρ partic. adiecta, qua anapaestum haud sane suavem oriri, unusquisque facile sentit, Gaisfordius denique γέ part. interposita, quae minime ab h. l. abhorret. Sed reprobamus istud additamentum propterea, quod eiusdem diphthongi, modo in thesi, modo in arsi collocatae, repetitio devitanda est. Quocirca inserendum censemus, quod tum ab hac parte, tum a vulgari syllabarum permutatione sententiaeque maiore coagmentatione commendatur: οὖ γ' ὁ δεσπ. Denique v. 3. οὐκ in οὐδ' convertendum est cum Meinekio, ut vera trium versuum haec videatur species esse:

Τί διακενῆς εἰ χρηστὸς, οὗ γ' ὁ δεσπότης
πάντ' αὐτὸς ἀπολλύει, σὺ δέ μηδὲν λαμβάνεις;
σαυτὸν ἐπιτρίβεις, οὐδ' ἐκεῖνον ὠφελεῖς.

Apud Philetaerum Athenaei XIII. p. 510. F.:

Παῦσαι γέρων ὢν τοὺς τρόπους. οὐκ οἶσθ' ὅτι
οὐκ ἔστιν ἥδιστον ἀποθανεῖν βινοῦνθ' ἅμα;

οὐκ altero v. non potest non falsa, et a scriba quodam, qui ad verba οὐκ οἶσθ' ὅτι animum non attendisset, adiecta censeri. Quo intellecto, ἥδιστον in principio collocan-

dum patebat. Itaque Toupio sic corrigenti Add. ad Theocr. XXI, 26. p. 403. recte assensus est Porson. Adv. p. 120., Herm. p. 136., etsi hic dubitanter, et G. Dindorf. Sed in negatione vel addenda vel eiicienda, etsi maxima in hac re librariorum temeritas fuit, summa tamen oportet cautio adhibeatur. Significamus nunc exemplum unum de priore genere. Inter ingeniosa Laidis dicta, prodita a Machone ap. Athen. XIII., insigni aculeo non caret, quod ex Euripide quaesisse dicitur p. 580. C. D., quo consilio in tragoedia dixisset: Ἐρᾷ' αἰσχροποιέ; annotat enim schol. ad Eurip. Med. 1315.: δοκεῖ τὸν στίχον τοῦτον εἰπὼν Εὐριπίδης ἐκβεβλῆσθαι. Itaque conturbatus interrogationis audacia Euripides, ut est ap. Machonem

Σὺ γὰρ, ἔφη, τίς εἶ, γύναι;
οὐκ αἰσχροποιός;

Ita enim haec Elmsleius conformavit ad Medeae l. c. post varia variorum tentamina, quae ab eodem, excepto Meineckio Curr. critt. p. 67., commemorata sunt. At Euripidem Laidis protervitate obstupefactum existimasne tam minutis interrogationibus, quibus conviciandi vis omnis tollitur, usum fuisse? Impetu, opinor, haud leni fertur, cui talia exprobrantur. Exempla autem, ab Elmsleio congesta, quibus interrogatiunculas istas firmaret, aliena esse facile intelligitur. Tenendum est autem, in cod. praestantissimo Marc. A. σὺ γὰρ ἔφη τις εἶναι αἰσχροποιός, in Palat. σὺ γάρ τις ἔφη αἰσχροπ., in cod. Epitom. C. σὺ γὰρ ἔφη τὶς εἶ αἰσχ. extare. Ex quorum comparatione primum stabilire licet, quod Elmleius acute excogitavit: γύναι; vocabula enim id genus cum facile a scribis omittantur, intercidit in codd. C. et Pal., sed conservatum est in cod. Marc. ita, ut litterae initiales duae oblitterarentur, et cum praeced. voc. copularentur. Tum animum advertit, quod in codd. A. et P. τίς pronomen nullo tono insignitum est, in cod. autem C. gravatum; cui quidem consensui tantum tribuendum videtur, ut interrogativum τίς prorsus ab hoc enuntiato

arceri debeat. Quae si vere disputata sunt, restat, ut alterius initium versus unius syllabae additione emendetur. Videtur igitur Euripides acerbe illud ipsum voc., quo usa erat antea, ita convertisse in meretricem, ut vim eius quam maxime augeret; videtur dixisse:

σὺ γὰρ — τὶς εἶ, γύναι,
αἰσχιστοποιός.

Formae insolentiam, si qua est, res ipsa excusat. Pronomen autem indefinitum τίς, principio enuntiati collocatum, confirmatione vix arbitror egere. Similiter formae pronominum personalium encliticae satis frequenter aut orationem, sive vocativo sive alio quodam vocabulo interruptam, continuant, velut Lysistr. 79.: οἷον τὸ κάλλος, γλυκυτάτη, σοῦ φαίνεται, Acharn. 406.: τούτου δὸς, ἀντιβολῶ σε, μοὶ τὰ σπάργανα, coll. Elmslei. ad Eurip. Bacch. 1118., aut enuntiati, ex prioribus nexi, initium faciunt, v. Acharn. 1047.: οὐ δεινὰ μὴ ἐξεῖναι, μὲ μηδ' ἑορτάσαι, Pace 20.: ὑμῶν δέ γ' εἴ τις οἶδε, μοὶ κατειπάτω, Avibus 1587.: φέρε τὸ σκιάδειον, ἵνα, μὲ κἂν ὁ Ζεὺς ἴδῃ —. Insignivimus autem pronomen quodque suo proprio accentu non sine idonea ratione. Nam si Graecis formam pronominis encliticam parvo intervallo a priore orationis membro separari improbatum fuisset, non dixisset unquam Aristoph., quod modo ex Acharn. excitatum est: οὐ δεινὰ μὴ ἐξεῖναι, μὲ μηδ' ἑ.; namque pronomen si necessario cum verbo ἐξεῖναι coniungendum fuisset, enclitica autem quaeque quasi quaedam pars prioris vocabuli est, eidem constructione oportuisset accommodari. Atqui quoniam constructione seiunctum est, item pronuntiando est seperandum, et quia enclitica a priore voc. divelli nequit, suo tono significandum esse consequitur. Consimilia verba sunt in Eur. Iphig. Aulidia v. 1436. Gaisf. παῦσαι, μὲ μὴ κάκιζε, ubi cum παῦσαί με nihili sit, ita scribendum est, uti fecimus; et Bacch. 504. Elmsl., quem v. Gaisf. citavit, vel omissa interpun-

ctione sic exaranda verba sunt: *αὐδῶ μὲ μὴ δεῖν.* cfr. Fritzsch. Quaest. Luc. p. 27. 28.

In Antiphanis v. ap. Stob. Flor. XCIX, 31. Gaisf. = p. 539, 14. Gesn.

Ἅπαν τὸ λυποῦν ἐστὶν ἀνθρώπῳ νάσος,
ὀνόματα δ' ἔχουσα πολλά —

sententia postulat, ut *δέ* expungatur cum Gaisfordio *et* Dobreo Add. ad Plut. p. (114).

Stephani versus ap. Athen XI. p. 469. B.:

Καινόν τι νῦν τοῦτο γέγονε νῦν ποτήριον;

manifesto depravatus est, etsi Schweighaeuserus repetitum *νῦν* sermoni familiari condonandum putat. Sed Iacobsius qua ratione ductus *καινόν τι τοῦτο νῦν γέγονε ποτήριον*; scribi voluerit Addit. Anim. ad Ath. p. 251., non perspicio. Licuit enim, priore *νῦν* deleto, alterum suo loco conservare, id quod Dindorfius fecit. Sed corruptionis origo facile apparet, si scriptum cogites a Stephano:

καινόν τι νῦν τοῦτο γέγονεν ποτήριον;

Finalem enim litteram verbi *γέγονεν*, seiunctam a prioribus, pro *νῦν* particula habuit sciolus quidam.

Apud Menandrum in Stobaei Floril. LXIII, 34. Gaisf. p. 200. Mein.:

πῶς οὖν ἕτερος ταὐτὴν ἔχων
οὐδὲν πέπονθεν, ἀλλ' ἀπῆλθε καταγελῶν.
ἕτερος ἀπόλωλε.

post *ἕτερος* addendam *δέ* viderunt Dobreus Add. ad Plut. l. c., et Meinekius.

Clearchum ap. Athen. X. p. 426. A.:

Α. *τήνδ' ἐγώ*
μεστὴν ἅπασαν ἐπονομάσας προπίομαι
συγγενέσι πίστωμα φιλίας. Β. *Πιὼν ἐρῶ*
τὰ λοιπά. —

ad hoc genus refero, quoniam *συγγενέσι*, nisi aliud quoddam attributum accedat, articulo carere nequit. Sed et huic malo medemur et versus integritatem restituimus lenissima, opinor, mutatione hac:

τήνδ' ἐγὼ
μεστὴν ἅπασιν ὀνομάσας προπίομαι.

Poculum igitur libat, quisquis est, gentilibus, appellans eos. In proximis autem post πιών oportet δέ inseratur. Sed eidem versus a Dobreo Add. ad Plut. l. c. sic interpolati sunt: τήνδ' ἐγὼ μεστὴν ἅπαξ — ἐπονομάσας τοῖς συγγενέσι προπίομαι — πίστωμα Φιλίας. ἀλλὰ γὰρ πιὼν ἐρῶ — τὰ λοιπά. Sententiae similitudo quaedam in memoriam revocat lepidissimos Theopompi vv. ap. Athen. XI. p. 471. A., sic, ni fallor, redintegrandos:

A. Γραῦ Θεολύτη, γραῦ. B. τί με καλεῖς σὺ φίλτατε;
A. ἵν' ἀσπάσωμαι δεῦρὸ παρ' ἐμέ, Θεολύτη,
παρὰ τὸν νέον ξύνδουλον· οὕτωσὶ καλῶς·
σπινθὴρ — — B. τάλας, πειρᾷς με; ναὶ τοιοῦτό τι
οὐ πείσομαι. A. φιλοτησίαν σοι προπίομαι.
δέξαι.

In Nicomachi ecloga ap. Athen. VII. p. 291. A. coquo, qui artis suae praestantiam difficultatemque negarat a domino intellectam esse, respondet dominus: εἴσομαι δέ γ', ἢν λέγῃς; sequuntur haec:

τὸ γὰρ παραλαβόντ' ὄψον ἠγορασμένον
πότερον ἀποδοῦναι σκευάσαντα μουσικῶς
διακονοῦ 'στ' ἢ τοῦ τυχόντος;

Πότερον in πότερ' mutato versum Dobreus l. c. sibi emendasse videtur, cui assentitur Dindorfius. At totum enuntiatum interrogatione contineri non posse, duabus rebus arguitur; neque enim unquam πότερον vel πότερα simplici interrogationi adhibetur, et, si hoc licuisset, necessario deberet negatio verbum ἐστίν antecedere; quod aliquatenus Schweigh. perspexit. Nam postremum hoc cum Dobreus conaretur explicatione quadam declinare, sententiam commentus est vanissimam et a continuatione orationis alienissimam. Enimvero cum interrogationis species ab illo remota sit enuntiato, ad coqui naturam, artem suam ostentantis loquaciter, accommodata esse verba, et a domini silentio, hic illic tantum servi nugas interpellantis, et respondentis breviter

ad interrogata, prorsus abhorrere, in oculos incurrit. Accedit Epitomae auctoritas, in qua sic relata sunt Athenaei vv.: ἔπειτα αὔχησας ὁ μάγειρος εἰδέναι τὸ ἠγορασμένον ὄψον σκευάσαι μουσικῶς —. Restat igitur, ut pro corrupto πότερον vox quaedam inveniatur, quae qualis debeat esse, oppositio verborum: ἀποδοῦναι σκευάσαντα μουσικῶς docet; in eo enim coquus artem cerni asseverat, ut piscis qualiscunque in foro emptus eleganter apparetur. Scriptum igitur coniicimus initio versus: ὁτιοῦν; ὁτιοῦν enim postquam in ὁτεροῦν transiit, de qua confus. v. Bast. Comm. Pal. p. 763., correctum est πότερον.

Apud Damoxenum Athen. III. p. 102. C. vers. 20. sqq.:

αἱ μεταβολαὶ γὰρ αἵ τε κινήσεις κάκον
ἠλίβατον ἐν ἀνθρώποισιν ἀλλοιώματα
ἐν ταῖς τροφαῖς ποιοῦσι.

originem erroris satis videmur posse ostendere. Coquus, qui artem suam varia et multiplici doctrina niti demonstrat, inter alia documenta utitur hoc: sciendum esse coquo, quis quoque tempore anni optimus piscis sit ad vescendum et utilissimus. Cuius necessitatis causam in eo patet positam esse, quod, ut alia alio tempore iucunda ad edendum sint, temporum vicissitudinibus efficitur. Neque igitur coqui argumentatio postulat, ut mutationes eduliorum κακόν dicantur, nec sunt hominibus κακόν, sed adeo cum varietate oblectationem quandam habent. Porro vv. αἱ μεταβολαί et αἱ κινήσεις necessario videntur vocem requirere, qua, cuius sint, declaretur; nam vv. μεταβολαί vicissitudines temporum et κινήσεις solis motus significare, in quam partem ea interpretatus est Schweigh., exemplis demonstrandum erat. Quocirca, cum a duabus partibus κακόν suspectum sit, non dubitamus corrigere sic:

αἱ μεταβολαὶ γὰρ αἵ τε κινήσεις κύκλων —

κύκλα enim sol sunt et luna. Quod si non improbabitur, corrupto κύκλων in κακόν, ἠλίβατον intelligitur ortum

esse. Itaque alterum versum sic a poeta scriptum fuisse consequitur:

ἠλίβατ' ἐν-ἀνθρώποισιν ἀλλοιώματα,

Iam sententia plana est, coquique argumentationi conveniens, constructio verborum expedita. In codd., isto quod explicuimus vitio affectis, correctorum manus versatae sunt; in Marc. ἐστ' adiectum post ἠλιβ. et ἐν oblitteratum est; in Laur. et Palat. autem ἄν loco praepositionis ἐν conservatum, denique in cod. Epitom. sic distinctum: ἠλίβατον. ἔν τ' ἀνθρ. — Quod ad criticorum pericula de hoc versu attinet, abstinendum erat ab omissione praepositionis ἐν; quam cum antea voluisset eiici Hermannus, pariter ac Porson. Adv. p. 54., Reisigiusque p. 25., errorem Hermannus correxit p. 135.; cfr. Aristoph. Nubb. 840: ἄληθες; ὅσαπερ ἔστ' ἐν ἀνθρώποις σοφά. coll. Plut. 161.; tantoque usu venit hoc dicendi genus, ut Pluto 145: ἦ χάριεν ἀνθρώποισι-, a quibusdam librariis ἦ χαρ.ἐν ἀνθ. scriberetur; meliores tamen codd., velut Rav., Venet., Mutinn. m. et n., Dorv. ἐν omittunt.

Damoxenum Athen. III. p. 103. A., in ex. Venet. et Commel. sic scriptum:

εἶτ' οὐδὲν εἰκῇ παρατίθεμαι τοῖς συμπόταις
βρῶμ' —

misere a Musuro interpolatum esse, plane nunc codd. Marc., Laur., et Paris., in quibus vere: παρατίθημι μανθάνεις βρῶμα repertum est, ostendunt. Interrogandi formam μανθάνεις; satis illustrarunt Gaisf. ad Markl. Suppl. 901. et Kiddius ad Daw. Misc. p. 446.

Denique monstro versus ap. Machon. Athen. XIII. p. 581. D.

ἐν σκυτοτομίῳ τινὶ μετά τινων καθήμενος

τινί exemerunt Porson. Adv. p. 120. et Meinek. Curr. critt. p. 66.

Cum igitur haud paucos versus ex eorum numero, qui contra Dawesium pugnare videbantur, propter ser-

monis vel sententiae vitia ostenderimus corrigendos fuisse, et ita corrigendos, ut non amplius metri elegantiam corrumperent, sequitur ut alterum illud persequamur genus.

Quod Acharnenss. 883. a Brunckio editum est:

περὶ τὸν Ἰόλαον, ἐπιχαρίτως γ' ἄν, ὦ ξένε.

nititur Aldini libri scriptura: ἐπιχαρίτως ἂν γ', quae unde orta sit, facile est ad intelligendum; nam cum in codd. Pariss., Ravenn. et Laur. ἄν particula desideraretur, adiecta est in aliis codd. aut ex. Ald. a metri correctore. Accedebat, quod eandem consuetudo dicendi flagitare videbatur; probata enim explicatione, quae in scholio prodita est: τὸ δὲ ἐπιχαρίτως ἀντὶ τοῦ κεχαριτωμένως (?) καὶ κεχαρισμένως ἡμῖν ἀπόλοιντ' ἄν, particula ἄν requirebatur, qua, quod optatum esset antea, iudicii vim nanciscereturs. Sed constantem codd. memoriam feliciter eo sustentasse Elmsleium, quod ἐπιχαρίττως scriberet, cod. Rav., ex quo Bekker. ἐπιχαρίττω enotavit, plane nunc monstrat; quanquam de explicatione nihil addidit idem Elmsleius. Sciendum est igitur, Boeotum hoc dicere: per Iolaum, iucunde tibiis canebant; effecerunt enim me prosecuti Thebis, ut vel flores pulegii humi caderent. Namque cum dictum a Dicaeopolide esset: πόθεν προσέπταντ' οἱ κακῶς ἀπολούμενοι ἐπὶ τὴν θύραν μοι Χαιριδῆς βομβαύλιοι, haec attributa, quae malos significant tibicines, suo comprobavit assensu, sonoque imitatus est Boeotus. Ceterum miror, quod Dobreus Add. ad Plut. l. c. emendationem Elmsleii verissimam non acceperit, sed retenta ἄν, quae auctoritate destituta est omni, Thebis fuisse Iolai nomen trisyllabum ex hoc v. collegerit.

Pace 869. Brunckius ex depravato cod. A. edidit:

ἡνίκα γε κέλης κέλητα παρακελητιεῖ.

Veteres critici quanta usi sint licentia, satis h. l. declarant Ravennas et Venet., exempl. Iunt. II. et vetus Scaligeri liber, in quibus verissime ἵνα δή proditum est; nam ἡνίκα cum explicationis causa ascriptum esset voc. ἵνα, hocque in uno libro expulisset, statim δή aut prae-

termissum est, ut in cod. B., aut in δέ mutatum, ut est in vett. exempll., aut in γέ, ut in cod. A.; verae scripturae vestigia cum correctione coniunxit ex. Iunt. III. sic: ἵνα δέ. Aut ἵνίκα κέλῃς aut ἵνα δὴ κ. iam Bentleius restitui voluit.

Avibus 447. ante Brunckium legebatur:

διατίθεμ' ἔγωγε· κατόμοσον νῦν ταῦτά μοι.

Quod cum Brunckius in διατίθεμαι 'γώγε converteret, metrum et correxit et corrupit rursus. Vera scriptura quae sit vitiique origo, intelligitur ex Ravenn. Veneto, et schol.; qui διατίθεμ' ἐγώ habent; profecta igitur γέ particula est a metri correctore; διατίθεμαι 'γώ revocarunt Porsonus, Reisigius. — In eiusd. fabul. v. 1676.:

ἀλλὰ γαμικὴν χλανίδα δότω τις δεῦρό μοι

ἀλλά, quod abest a Rav., Venet., Vossiano, veteribusque exempll. omnibus felici consilio ex schol. ad v. 1572. = 1564. revocatum est a Kustero, ut videtur; nam in annot. idem scribi vult γ. χ. νυνί δ. Post διδότω librorum fide contestatum est; unus Voss. et schol. l. c. δότω exhibent. Quibus Aristophanis accedit usus loquendi, in hac ipsa forma: δότω τις, notatus Hemsterhusio ad Plutum, et ita pervagatus, ut rara sint exempla eiusmodi: Φερέτω κύλικά τις ἔνδοθεν καὶ σταμνίαν, Lysistr. 199., et τυρὸν Φερέτω τις, Avibus 1567. Itaque cum δότω fere maiore nitatur auctoritate, quam διδότω, facile istam metri insolentiam declinare licuit, uti factum est a Porsono, Reisigio, Dindorfio. Tertiam imperativi personam in hoc dicendi genere ita stabilitam, ut raro altera usurpata sit, inconsideratius Dobraeus removit Add. ad Equitt. 523. p. (127. 128.) ex Heniocho ap. Athen. XI. p. 483. E., cuius verba corruptissima in cod. A. sic scripta sunt: πιεῖν πιεῖν τις ἐγχείτω λαβὼν πυριγενῆ κυκλοτερῆ βραχύωτον παχύστομον κώθωνα. Quodsi Dobraeus eo, quod ἐγχείτω in ἔγχει mutaret, versus refinxisset, comprobarem equidem coniecturam, sed duplici praeterea utitur transpositione. Quocirca in prioribus nihil mutandum erat, po-

tiusque quaerenda in proximis corruptela; in hac enim attributorum coacervatione procliwes erant scribarum errores, aut addentium temere quaedam, aut omittentium. Fortasse igitur a poeta scriptum fuit:

[Ταχέως] πιεῖν πιεῖν τις ἐγχείτω λαβών
[μέγαν], πυριγενῆ, κυκλοτερῆ, παχύστομον /
κώθωνα.

Ranis 559.:

ἐκκαίδεκ' ἄρτους κατέφαγεν ἡμῶν — νὴ Δία,

Ravennate videtur κατέφαγεν confirmari; Veneto autem nititur κατέφαγ'; hoc igitur iure Bentleius aliique praetulerunt. Tantopere enim variare in his formis codd. solent, temereque modo addere, modo negligere syllabam finalem, ut longissime ab corrigendi audacia emendationes id genus absint. Proinde Acharn. 144.:

ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφεν, Ἀθηναῖοι καλοί —

recte ἔγραφ' reduxit Dawes. Misc. critt. p. 448. K., quod nunc Rav. Pariss. A. C., Laur. F., in quo ἔγραψ' inest, et varia scr. in Paris. B. stabilitum est. Pariter Pluto 204. vere editum est a Kustero:

τοιχωρύχος τις διέβαλ'. εἰσδὺς γάρ ποτε —

διέβαλ' enim habent Rav., Mut. n., Dorv., Arund., Cant. 1. et 2. a. pr. m., Ald., Iunt. I. et II.; contra διέβαλεν Harl., Baroc. 1., tres Pariss., Cant. 3. 1. et 2., in quo a correctore profectum est, Venet., Mutt. M. et m. — Idemque prorsus cadit in commutationem formarum οὐ et οὐχί. Quocirca Pluto 178.:

ἡ ξυμμαχία δ' οὐχὶ διά σε τοῖς Αἰγυπτίοις

vel sine codd. auctoritate οὐ praeferri debebat, praelatumque est diu a Bentleio; sed contestantur hanc formam Rav., Venet, Borg., duoque alii libri ap. Dobr. Vehementer autem cavendum est, ne concinnitatis enuntiatorum gratia hoc versu retinendum proximoque corrigendum οὐχί existimes. Sed longe dispar est ratio versus cuiusdam in Ecclesiazusis. Praxagora enim eo loco, quo, ut mulieribus tradant rem publicam, viris persuadere studet, inter praecipuas refert

feminarum laudes, quod veterem vivendi agendique morem constanter servarint; itaque v. 221. καθήμεναι, inquit, φρύγουσιν ὥσπερ καὶ πρότου, eisdemque verbis in proximorum verss. clausulis utitur usque ad v. 228.:

Τὸν οἶνον εὔζωρον φιλοῦσ' ὥσπερ πρότου

quem sequitur ultimus de hoc genere, congruens cum prioribus: βινούμεναι χαίρουσιν ὥσπερ καὶ πρότου. Aut artis criticae norma et regula nulla sit, aut καί v. 228. addatur necesse est. Intelligenter igitur Guil. Dindorf. de vulgatae integritate suspicionem movit. Quocirca admodum exoptatum est, quod codd. praestantissimi, Rav. et Laur., illam suppeditant particulam. Sed ne prior quidem versus pars offensione caret. Quid enim est, cur poeta: „vinum, si meracum sit, amant" dicere maluerit, quam: „vinum meracum amant." Versus, ni fallor, sic ab Aristoph. scriptus est:

οἶνον φιλοῦσ' εὔζωρον ὥσπερ καὶ πρότου.

Pariter ap. Eubulum Athen. XIV. p. 642. C.

οὐχὶ φιλοτραγήμων εἰμί πως ἑκάστοτε —

οὐχί in cod. Pal., ex. Venet. et Commel. inest, οὐ in cod. Epitom., quod revocavit Meinek. Curr. critt. p. 16., quem tacite Dindorf. sequitur.

In Aristoph. fr. ex Thesmoph. p. 142. Dind.:

μύρον, κίσηριν, στρόφιον, ὀπισθοσφενδόνην

post Reisig. p. 33. στρόφον ex codd. Pollucis receptum est a Dindorfio. In Menandri v. p. 170. Mein.:

ἀλλ' ἔστι καὶ ταὐτόματον ἐνίοτε χρήσιμον —

ἔνια ex libris Heerehius suscepit, approbantibus Dobreo et Meinekio. In Batonis dicto ap. Athen. II. p. 103. D.:

ἑώρακας σὺ φιλόσοφον; εἰπέ μοί, τινα —

emendato ἑόρακας, sec. eund. Athen. VII. p. 279. B. οὖν recipiendum erat pro σύ. Atque sic haec correxit Meinek. Curr. critt. p. 15. Apud Machon. Athenaei XIII. p. 578. F.:

μοιχευομένην αἰσθανόμενος αὐτὴν ὕστερον —

αἰσθανόμενος debetur ex Veneto et Commel. et cod.

Palat.; contra αἰσθόμενος conservavit cod. Epitom., quod probavit Hermannus et Reisigius p. 32., tacite obsequente Guil. Dindorfio. — Ex tetrametris duo huc pertinent versus; in Equitt. v. 388.:

οὐκ αὖ μ' ἐάσεις; — οὐ μὰ Δία. — ναὶ μὰ Δία —
μὰ τὸν Ποσειδῶ

οὐ removerunt Bentleius, Hermannus, Reisig. p. 106., accedente nunc Rav., et Nubb. v. 1064. R.:

πολλοῖς — ὁ γοῦν Πηλεὺς ἔλαβε διὰ τοῦτο τὴν μά-
χαιραν —

Hermannus et Reisigius ἔλαβεν correxerunt, quod post a Bekkero in Rav. repertum est.

Iam tertio loco commemoramus versus quosdam, quibus criticorum beneficio numerorum concinnitas deiecta est.

Nubium v. 844.:

πότερα παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἔλω —

Brunckius corrupit, cum πότερον extet in libr. Mutinn. tribus, Cantabb. 1. 2. 3., Harl. 6. et Suida, πρότερον in cod. Dorv., et, quod eodem redit, πότερ' ἂν in Rav. et Venet.

Eccles. 161. 162. librorum et vett. exempll. scripturam:

ἐκκλησιάζουσ' οὐκ ἂν προβαίην' τὸν πόδα
τὸν ἕτερον, εἰ μὴ ταῦτ' ἀκριβωθήσεται —

Brunckius ἄν ad alterum vers. retracta, sic refinxit: τὸν ἕτερον ἄν, εἰ —, non deterritus inelegantissimo anapaesto. Sed valde eo inclinat animus, ut Buttmanni coniecturam in Gramm. max. V. I. p. 403.: ἐκκλησιῶσ' comprobem mea assensione; rarior enim contractio Attica facile scribarum ingenia offendit; quanquam verborum [in ⏑⏑ω terminatorum non aeque necessariam esse contractionem in Attico scriptore, ac verborum in ⏑⏑ω, vere a Reisigio Enarr. ad Oed. Col. v. 372. significatum est, astipulante Buttmanno Add. V. II. p. 420. — Fragm. Gerytad. I. ap. Dind.:

Καὶ τίς νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
ἔτλη κατελθεῖν; ἕν' ἀφ' ἑκάστης τῆς τέχνης —,

in libris est: ἕνα δ' ἀφ' ἑκάστης τ., quod perperam Toup. Em. in Suid. V. II. p. 346. Ox. in ἕνα γ' ἀφ' ἑκάστης τ. convertit. At inutile, etsi non vitiosum, Toupii additamentum τῆς non debebat G. Dindorf. suscipere, sed lenissimam potius Hermanni Elem. D. M. p. 134. emendationem: ἕνα γὰρ ἀφ' —; licet enim hoc exemplis annumerare, de quibus supra dictum est. Propter eandem causam Reisigii p. 33. coniecturam: ἕνα τιν' ἀφ ε. τ., quamvis Attico dicendi genere nixam et frequentissima pronominis τίς omissione, de qua Porson. dixit ad Pacem 649., Hermannianae postponimus. — Eiusdem poetae fragm. ex. Daedalo VII. Dind. Grotius in Excerptt. p. 547. sic ad metrum astrinxit:

περὶ τοῦ γὰρ ὁ πόλεμος ἔστι νῦν ὑμῖν; περί
ὄνου σκιᾶς.

Sed ap. Phot. s. v. ὄνου σκιά vere scriptum esse:

περὶ τοῦ γὰρ ὑμῖν ὁ πόλεμος
νῦν ἐστί; περὶ ὄνου σκιᾶς —

Hermannus significavit El. D. M. p. 130., cui G. Dindorf. obsecutus est. — Pherecratis verba non leviter turbata ap. Athen. XI. p. 485. D.: τῶν θεατῶν δ' ὅστις διψῇ λεπαστὴν λαψάμενος μεστὴν ἐχαρύβδισε infelicissime in trimetros redegit Toupius ad Longin. p. 499. W. hos:

τῶν θεατῶν ὅστις ἄν
διψῇ, λεπαστὴν λαψάμενος, ἐχαρύβδισε
μεστήν —

metro pariter atque oratione corrupta. Versus Pherecratis qui fuerint, ignoro; sed recte Guil. Dindorf., secutus codd. A. et B., in quibus ἐκκαρυβδίσαι est, ἐχχαρυβδίσαι scripsit, et proinde Toupii additamentum ἄν suscepit. — Anaxandridae v. ap. Stob. Floril. XLI, 2.:

ὅστις λόγους γὰρ παρακαταθήκην λαβών

optime, γάρ post παρακ. collocata, sanari viderunt Porson. Opusco. p. 249. et Reisig. p. 36. Brunckius autem in Gnom. Poet. p. 256. Sch. ὡς ante λαβών intulit,

quod praeter metri vitium nihil afferre novi, ab Reisigio ostensum est. Namque usum appositionis, hoc versu contentae, quem tetigit Reisig., doctissime Dobreus illustravit ad Aristoph. Plutum v. 314. Addo Acharnens. v. 219. *κοὐκ ἀνήσω πρὶν ἂν σχοῖνος ἀὐτοῖσιν ἀντεμπαγῶ*, Lysistr. 694. 695. *ἀετὸν τίκτοντα κάνθαρός σε μαιεύσομαι*. Memorabile, sed omni suspicione maius Platonis est dictum ex Protagora p. 326. C.: *ἡ πόλις τούς τε νόμους ἀναγκάζει μανθάνειν καὶ κατὰ τούτους ζῆν κατὰ παράδειγμα*, ubi haesitat Heindorf. Denique Diphilus accedat ap. Polluc. X. §. 12., cuius verba sic scripta sunt in ex. Hemst.: *εἶτα μαλακὸν ὦ δύστην' ἔχεις σκευάριον, ἐκπωμάτιον, ἀργυρίδιον, ἐκ δόμου λαβὼν τόδε, δώσεις ἐμοὶ παρακαταθήκην*. Verba *ἐκ δόμου*, quantum ex Kubnii annot. colligitur, ab Hemsterh. substituta sunt verbo: *ἐκδράμει*. Bentleii autem emendatione, prolata in Epist. II. ad Hemst. p. 91.:

εἶτα μαλακὸν, ὦ δύστην', ἔχεις
σκευάριον, ἐκπωμάτιον, ἀργυρίδιον.
Οὐκ ἐκδραμεῖ λαβὼν τόδε καὶ δώσεις ἐμοὶ
παρακαταθήκην.

tenuitate videtur haud mediocri poetae dictum affici. Hoc certe devitasse videmur nostra correctione:

εἶτ' οὐ μαλάχ', ὦ, δύστην', ἔχεις
σκευάριον, ἐκπωμάτιον, ἀργυρίδιον
πάντ' ἐκδραμεῖ λαβὼν ταδί, δώσεις τ' ἐμοί
παρακαταθήκην;

Emendationum causae et rationes faciles ad intelligendum sunt. Vocem *πάντα* frequenter et intercidisse et irrepsisse post Porsonum, de quo v. Dobr. Add. ad Equitt. 971., Reisigius ostendit Coniectt. p. 218., eandemque vel *ἅπας* potius Eupolidi ap. Polluc. X. §. 10. reddendam suspicamur. Poetae verba, quae soli debentur cod. Falckenb., haec sunt: *ὁ γοῦν Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξι προεισπὼν, ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν, ἐπήγαγε παραπλήσιον: τεσσυγέγραπται τοῖς τὰ ἔπιπλα*. In prioribus verbis, siquidem ex *ἄκουε δή* nexa habeantur, articulus ante *σκεύη* accedat oportet; deinde cum a

Phrynicho p. 334. Lob. citentur ex Eupol. Adulatoribus haec: σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν, et certa quaedam, fortasse Calliae, domus declaretur, τήν ex Phrynicho asciscendum est. Quoniam igitur initio versus pes et dimidium deest, nec δή particulam eiicere licet, sic refingenda videntur priora:

Ἄκουε δή
ἅπαντα τὰ σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν.

Quem versum caveas velim ne propter τ litterae frequentiam reiiciendum existimes. Post voc. παραπλήσιον Polluci assignandum est, quippe qui alio Eupolidis versu τὰ ἔπιπλα tantundem valere ac τὰ σκεύη significare voluerit; ex litteris proximis recte ab Hemsterh. τέως erutum videtur et post pro τοῖς scriptum σοί; verbum autem, quo Eupolis usus erat, ni fallor ἀναγέγραπται est; recensentur enim vasa scriptoque consignantur; hoc autem ἀναγράφειν est, cfr. Bastium App. Epistol. crit. p. 35. Lips., neque aut γράφειν aut συγγράφειν. Itaque, si post ἀναγέγραπται duae interciderunt syllabae, versus efficitur hic:

τέως ἀναγέγραπται υ⏑ σοὶ τἄπιπλα.

Adiici possint vv: μὲν οὖν. Sed quae a Bentleio de his versibus disputata sunt, Epist. I. ad Hemst. p. 86., facile his nostris refelluntur. — Apud Platonem Protag. cum Protagoras docuisset, multos ex sapientibus, ut potentium effugerent invidiam, aliarum artium professionem praetexuisse, hocque ipse consilium aspernatus esset p. 317. A., ἡγοῦμαι γὰρ, inquit, αὐτοὺς οὔτι διαπράξασθαι, ὃ ἐβουλήθησαν, οὐ γὰρ λαθεῖν τῶν ἀνθρώπων τοὺς δυναμένους ἐν ταῖς πόλεσι πράττειν, ὥνπερ ἕνεκα ταῦτ' ἐστὶ τὰ προσχήματα. Priorem Heindorfii explicationem alterius enuntiati commemorare nihil attinet; sed quasi secundis curis idem πράττειν tradit tantundem esse ac τὰ πράγματα πράττειν, principem esse in re publica. Quod etsi largimur esse, quanquam minime appositum est Demosthenis exemplum, quo utitur ille, potentes tamen civitatis dicti sint necesse

est aut οἱ δυνάμενοι vel δυνατοί, aut οἱ πράττοντες, neque οἱ δυνάμενοι πράττειν. Quocirca ante πράττειν suspicamur πάντα praetermissum esse. — Sed apud Aristoph. Equitt. 980 981. cum vulgatum esset ex codd.:

ἔσται τοῖσι παροῦσι καὶ
τοῖσιν ἀφικνουμένοισιν,

Porsonus correxit: ἔσται τ. π. καὶ πᾶσι τ. ἀ., Dobreus, assentiente Dindorfio, ἐ. τ. π. πᾶσιν καὶ τ. ἀ. Lenius arbitror remedium hoc esse:

ἔσται τοῖσι παροῦσι καὶ
τοῖσιν ἔνδ' ἀφικνουμένοις. —

Eubuli versum ap. Athen. II. p. 36. C. in libris sic scriptum:

ὄγδοος κλήτορος, ὁ δ' ἔννατος χολῆς

Brunckius corrupit in hunc modum:

ὄγδοος ἀνακλητόρων. ὁ δ' ἔνατος χολῆς

etsi initio versus ὁ δ' addendum esse iam Casaubono intellectum erat. Quod ad reliquam versus partem attinet, recte videtur a Dindorfio, cum ἔνατος forma, firmata ex. Venet. et Suid., usitatior sit, haec reducta esse et proinde κλητῆρος pro κλήτορος scriptum. — Ap. Alexin Athen. I. p. 28. F. cum corrupte scriberetur in ex. Ald. et Commel.:

ὃς δ' ἂν εἰς ἑτέραν ληφθῇ γ' ἀποστέλλων πόλιν,

Schweighaeuserus metrum corrigebat eo, quod εἰς in ἐς converteret. Post versum refingere conati sunt Erfurdtius, deleta ἄν, Hermannus El. D. M. p. 135., sublata εἰς, pariter uterque improbabile. Nam cum in codd. tribus γέ post ληφθῇ non repertum sit, sed a Musuro profectum videatur, acute Porsonus Adv. p. 44. Lips. et ann. ad Nubb. 1072. δέ esse post ληφθῇ retrahendum vidit; iure igitur hanc coniecturam G. Dindorf. suscepit. Collocationem δέ particulae insolentiorem, etsi certis circumscriptam finibus, praeter eos, quos Guil. Dindorf. ad Pacis v. 1172. citat, illustrarunt Porsonus ad Plutum 548 et Elmsleius ad Bacch. 165. Lysistrata v. 160: ἐὰν λαβόντες δ' — contra Brunckium, licet argumento

nixus parum idoneo, recte tutatus est Elmsleius ad Acharn. 127.; eiusd. fab. v. 264. 265. sic refingendos existimo:

Μοχλοῖσι καὶ κληθροισιν
Πακτοῦν δὲ τὰ προπύλαια.

In incerto Aristophanis Fr. LXX. Dind.:

ἐν τοῖς ὄρεσιν αὐτομάτοισιν τὰ μιμαίκυλα φύεται πολλά —

verissime G. Dindorf. et δ' post ὄρεσιν inserendum esse et φύεται transponendum post αὐτομάτοισιν censuit. Sed verba ad metrum astringere, quin sententia insit, quid prodest? Montes αὐτόματοι dici nequeunt, et si possent, deberet dictum esse τοῖς αὐτομάτοισιν; nec dativo homo aut res significari potest ulla, cui fraga nascantur. Quid multa? scribe:

ἐν τοῖς ὄρεσιν δ' αὐτόματ' οἷσιν φύεται τὰ μιμαίκυλα πολλά.

Ceterum ne in dipodiarum contiguarum exitu simili offendas, Aristophanem scias hanc sonorum congruentiam non modo repudiasse, sed studio quodam consectatum esse. Conferas, sis, Equitt. v. 793.: ἄνθρωπε, τίς εἶ; μῶν ἔκγονος εἶ τῶν Ἁρμοδίου τις ἐκείνων; Lysistr. 595.: τῆς δὲ γυναικὸς μικρὸς ὁ καιρός, ibid. 531.: περὶ τὴν κεφαλήν; μή νυν ζῷ ην. —, et quod etiam luculentius exemplum est, Vespp. 549.: τῆς ἡμετέρας, ὡς οὐδεμιᾶς ἥττων ἐστὶν βασιλείας; pariter ex trimetris Pluto 373.: μῶν οὐ κέκλοφας, ἀλλ' ἥρπακας; κακοδαιμονᾷς., Thesm. 383.: φιλοτιμίᾳ μὲν οὐδεμίᾳ —. Sed quod Pace est 423.: πάσας τε τὰς ἄλλας τελετὰς τὰς τῶν θεῶν, certo quodam consilio non destitutum videtur. — Apud Menandr. in Stobaei Floril. LXX, 7. Gaisf. = p. 217. Mein.

Δῦ' ἔσθ', ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ
ἤτοι προικὴ γ' ὄψιν, ἢ χρηστὸν τρόπον,
τὴν γὰρ ὁμονοίαν τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ.

versu tertio Grotius ταῦτα γάρ scripsit et Brunckius, citatus a Dobreo, τάδε, ann. ad Pluti v. 44., nec melius alia ex parte Bentleius τὰ γάρ. Codicum memoriam recte tutati sunt Porsonus, — v. Dobr. Add. ad

Plut., et Meinekius; etenim versus tres si recitatione ita ut par est, coniungantur, facile, quid concordiam efficiat, intelligitur. Sed quod Gaisf. codd. scripturam δύ' ἔστι. κρῖναι — conservavit, neque Grotii δύ' ἔσθ' ἃ suscepit, codd. religio vehementer sententiae integritati offecit. Nempe haec verba superioribus, quae intercidissent, referri voluit. At vero si deessent quaedam, velut hoc: in matrimonio ineundo duo considerari debent, inaniter loquax Menander foret. Quocirca Grotii coniectura, etiam Meinekio probata, verissima habenda est. Altero autem v. cum Elsmleio ap. Gaisf. προσηνῆ γ' scripsimus, cum in codd. A. et Voss. et ex. Trinc. προσηνήν extet. Nam Bentleium, quod accusativi προσηνῆ et χρηστὸν τ. soloeci forent, προσηνὴς — χρηστὸς τε. emendasse emendationemque persuasisse Meinekio, satis mirari nequeo. Est enim haec attractionis species confinis ei, quam supra illustravimus; appositio enim casu accommodatur ad enuntiatum relativum, quod additum est ei, cui apponitur aliquid. Pertinent huc quaedam ex eis, quae Schaef. ad Orest. 1030. et Add. p. 93. sq. et Elmsl. ad Heracl. 601. commemorarunt, Heindorfiique ann. ad Phaedon. p. 46. Notatu dignum videtur, quod Aristoph. Lysistr. 61. sqq. dixit: οὐδ' ἂς προξεδόκων, καλογιζόμην ἐγὼν — πρώτας παρέσεσθαι δεῦρο τὰς Ἀχαρνέων — γυναῖκας, οὐχ ἥκουσιν. Atque ad idem genus referendi sunt vv. Avium 1562. sqq.: ἀκήκοας ἐμοῦ γ' ὅτι τὸν ἄνθρωπον ἄγχειν βούλομαι, ὅστις ποτ' ἔσθ', ὁ τοὺς θεοὺς ἀποτειχίσας, ubi perperam vulgo interpunctio ante vv. ὁ τούς neglecta est. Formam enim ὅστις ἐστί vel ὅστις ποτ' ἐστὶ annectunt rei cuidam eo fine, ut aut ignorari omnino, aut certam non esse definitamque ostendant; quod valere ad rem quamque extenuandam vel perstringendam, in propatulo est. Sed hoc ubi fit, forma illa a superioribus et proximis constructione separata est; v. Nubb. 112. 113.: εἶναι παρ' αὐτοῖς φασὶν ἄμφω τὼ λόγω, τὸν κρείττον', ὅστις ἐστὶ, καὶ τὸν ἥττονα, coll. 882. Vespp. 1406.: προσκαλοῦμαί σ', ὅστις εἶ. Ly-

sistr. 835.: ποῦ δ' ἐστίν, ὅστις ἐστί, Ranis 38. 39.: τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν; ὡς κενταυρικῶς ἐνήλαθ', ὅστις — εἰπέ μοι, τουτὶ τί ἦν;, Eccles. 1102.: ἀτὰρ, ἤτις εἶ γε, πόλλ' ἀγαθὰ γένοιτό σοι; similiter poeta Avibus dixit 797.: εἴ τε μοιχεύων τις ὑμῶν ἐστιν, ὅστις τυγχάνει. E Tragicis duo id genus exempla enotavit Reisig. Comm. critt. ad Oed. Col. p. 229.; nec desunt alia, velut Bacch. v. 220. Elmsl. Proinde Ranis 425. sqq. distinguendum est: κἀκβάπτετ' ἐγκεκυφὼς, κἄκλαε κἀκεκράγει Σεβῖνον, ὅστις ἐστὶν, ἀναφλύστιος, scribendumque Eccles. 382. 383. νῦν μὲν γὰρ οὗτος βεβαλάνωκε τὴν θύραν, ὅστις ποτ' ἔστ', ἄνθρωπος, ἀχρᾴδουσιος, — Sed quod ap. Menandr. cum Elmsleio corrigi volumus: ἤτοι προσηνῆ γ' ὄψιν, ἢ —, coniunctionem particularum ἤτοι — γε, ἤ satis ipse Elmsleius illustravit ad Medeam 1263. — In Philemonis v. ex Thebanis ap. Stob. Floril. LXII, 8. Gaisf. p. 366. Mein.

δοῦλοι βασιλέων εἰσὶν, ὁ βασιλεὺς θεῶν

mire Grotius ὁ δὲ β. coniecit metri causa. — Apud Damoxenum Athenaei III. p. 102. B.:

διόπερ μάγειραν ὅταν ἴδῃς ἀγράμματον
μὴ Δημόκριτόν τε πάντα διανεγνωκότα
μᾶλλον δὲ κατέχοντα, καταγέλα σύ γ' ὡς κενόν,
καὶ τὸν Ἐπαιούρου κανόνα, μισθώσας ἄφες.

corruptela vel eo arguitur, quod σύ γ' librorum auctoritate destitutum est, additumque, ut videtur, a Musuro. Itaque cum a prioribus criticis nihil profectum esset, et metricis legibus satisfieri et sententiarum cohaerentiae Hermannus existimavit Praef. ad Dracon. Straton. p. XXIV. XXV., si versus abiiceretur. Nam cum verbum διανεγνωκότα explicatum esset sic: ἀνεγνωκότα, μᾶλλον δὲ κατέχοντα, post autem: μισθώσας (sic enim correxerat) ἄφες his: καταγέλα ὡς κενοῦ, istum ex interpretationibus conflatum versum esse. At hoc interpretamentorum commentum, etsi probatum Reisigio p. 32. et Dindorfio, caret, meo quidem iudicio, omni

persuasionis vi, improbatumque nunc est, ut videtur, ipsi Hermanno El. D. M. p. 135. Quanquam quod ibi scriptum coniecit: μᾶλλον δὲ κατέχοντ', εὖ παταγελᾶν ὡς κενοῦ, et verbum κατέχειν de proprio significata suo videtur detortum, et εὖ infeliciter inventum esse, neque constructionis simplicitati satis provisum. Sed quod G. Dindorf., trimetrum, inquit, si hoc agis, sic restituas licet: μᾶλλον δὲ καὶ κατέχοντά, κἀταγέλα κενοῦ hocque praestare opinatur Hermanni coniecturae, modo significatae, ab Hermanno sciendum est non hoc tantum, ut trimetrum restitueret, actum esse, sed ut sententia inesset verborum figuris. At vero membra ista: καταγελα ὡς κενοῦ et μισθώσας ἄφες non in eadem versantur significationis vi, sed gravius alterum est. Propinde cum initio eclogae Epicuri se discipulum profiteatur coquus, neque commemoret Democritum, plus eum veri est simile Epicuri praeceptis tribuisse, quam Democriti; eodem autem pertinere videtur, quod Democrito significato, sequuntur haec: μᾶλλον δὲ κατέχοντα. Quocirca ita posteriores duo versus turbatos conicimus, ut quaedam de priore ad alterum referrentur et invicem; quanquam quomodo disiecta sint membra componenda, nondum tenemus.

Postquam igitur multos versus, vitiosa quadam numerorum specie affectos, corrigendos declaravimus aut propter sententiae sermonisve pravitatem, aut scripturae discrepantiis quasi viam munivisse emendandi, aut recentiorum esse studiis criticorum vera et incorrupta forma privatos, alii nec paucissimi nec plurimi restant, in quibus sola metri corruptela emendandi affert necessitatem; quanquam ne in his quidem desunt, quorum vel sententia vel dicendi genus, vitio metri sublato, sustentabitur.

Acharn. 590, sqq. Megacles et Lamachus legationibus aliisque gravissimis et fructuosissimis muneribus functi dicuntur,

οἷς ὑπὲρ ἐράνου τε καὶ χρεῶν πρώην ποτέ
ὥςπερ ἀπόνιπτρων ἐκχέοντες ἐσπέρας
ἅπαντες ἐξίστω παρήνουν οἱ φίλοι.

Ὑπ' ἐράνου primus Bentleius rescribi voluit, post Erfurdtius, assentientibus Hermanno, Reisigio p. 24., Dindorfio, et confirmante schol. Acute enim ab Hermanno perspectum est, locutionem ὑπ' ἐράνου esse accommodatam ad rem comparatam; quemadmodum enim quis, si iocosa quadam accuratione loquendi utatur, dicat: ἐξίστω ὑπ' ἀπονίπτρου, sic a poeta lepide fictum esse hoc: ἐξίστω ὑπ' ἐράνου. Ab hoc autem sententiae acumine vulgata alienissima est. Sed propter hanc ipsam dicendi speciem argutam, quam poeta consectatus est, vehementer mihi probatur, quod Reisigius ἐράνων restituendum censuit; testatur pluralem schol., valdeque Aristophanea consuetudo, ab Reisigio documentis maxime idoneis ostensa, commendat. — In ead. fab. versum 699.:

ἀκούετον δή, ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαστέρα

scripto πότεχ' lenissime et ad Aristophanis loquendi morem accomodatissime restituit Reisig. p. 34. — Thesmoph. 284. 285.:

Ὦ Θρᾷττα, τὴν κίστην κάθελε κἄτ' ἔξελε
τὸ πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσῳ ταῖν θεαῖν.

verissima videtur Porsoni emendatio ea, quae Adv. p. 213. Lips. prolata est: τὰ πόπαν', ὅπως propterea, quod complures solebant dis placentae offerri; v. Plutum 660.: ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ προθύματα καθωσιώθη. Bentleius autem et Dindorf. voluerunt ὡς pro ὅπως scribi, Porsonus ap. Dobr. ad h. l. ἵνα, ruraneque Dindorf. πά deleri. — In Amphidis v. ap. Athen. VI. p. 224. E.:

οὗς ἐάν τις ἐπερωτήσῃ τις, ἢ λαβὼν τι τῶν —

ἄν revocavit Meinek. Curr. critt. p. 16. Ceterum, ut paullum commoremur in Amphidis eclega haud infoeta, sententiarum nexum unus optime perspexit Casaubonus, sic exponens: quos si rogaveris, alius sumens in ma-

num —, alius incandescit et verbis integris loqui aspernatus —. Nam insignis Schweighaeuseri incogitantia est, qui cum Dutheilio, homine Francogallo, vv. ἢ λαβών κ. τ. λ. ad emptorem referri voluit, et error haud levis Meinekii ad Menandr. p. 186., qui omnia: ἔκυψεν — ἔκρουσε, ἐπρήσθη; — uni tribuit venditori; quod quidem fieri nequit iccirco, quia verbis ὁ δέ usquequaque subiectum significatur, a priore diversum. Primo igitur membro ὁ δέ cogitatione addendum est, de quo v. Porson. ad Orest. 891. Mein. Curr. critt. p. 44. Addere licet Pherecratis vel Strattidis Fr. ap. Athen. XV. p. 685. D., de cuius metro recte statuit Meinek. Qu. Sc. II. p. 32. Propter eandem causam in Fr. Tagenist. Aristoph. p. 185. Dind. v. 6. 7.:

πᾶς γὰρ λέγει τις, ὁ μακαρίτης οἴχεται·
κατίδαρδεν εὐδαίμων, ὅτ' οὐκ ἀνιάσεται.

improbandum est, quod Seidl. dissert. de Arist. Fr. p. 26., itemque Iacobsius Lectt. Stobb. p. 145. et elegantissimus Boissonadius, teste Iacobsio, altero v. ὁ δ' οὐκ ἀ.-correxerunt. Nam etsi certus homo cogitatur nullus, tria tamen enuntiata ad statum mortui cuiusdam, qui unus cogitatur esse, describendum pertinent. Quanquam in vulgata qua ratione G. Dindorf. acquieverit, non assequor; nam si adiecta censeas posteriora ad explicandum vocab. εὐδαίμων, certe, ut alia taceam, ὅτ' οὐκέτι ἀνιάσεται dictum oportebat esse. Sed ad sententiam dicendique genus, quod comicam quandam gravitatem habet, accommodatissimum videtur:

κατίδαρδεν εὐδαίμων, ἔτ' οὐκ ἀνιάσεται.

De verbis ἔτ' οὐκ conferre licet Aristoph. Plut. 1177.: θύειν ἔτ' οὐδεὶς ἀξιοῖ, et quae a Reisigio exposita sunt Comm. critt. ad Oed. Col. p. 381. — Quod ad vv. καὶ δικαίως κ. τ. λ. in Amphidis dicto attinet, comparatio cernatur necesse est in lento et summisso agendi genere eorum, qui caedem perpetrare student. Ambiguitas enim significationis in v. ἀνδροφόνος inest, quod cum piscariis tribuatur propter improbitatem, poeta ita lu-

dendo accipit, quasi sint interfectores; est igitur, ut interfectores, oportet lente incudere. Deinde pro ἐπρήσθη recte videtur Meinek. l. c. p. 278. ἐπρίσθη scripsisse. — Apud Antiph. Athen. VI. p. 222. B. v. 10:

πάντ' εὐθὺς εἴρηκεν, ὅτι μανεὶς ἀπέπτηνε —

εἴρηχ' scribendum esse Hermannus p. 135. significavit, et ap. eundem ibid. p. 226. D. v. 4.

οὐχὶ μὰ Δία τιτθὰς εἰσάγουσι βασκάνους

non perspicio, cur Guil. Dindorf., Reisigio p. 26. οὐ revocanti, non obsecutus sit; nisi forte correctionem existimavit indoctam esse. Ceterum pro οὐ nescio an κού Antiphani reddendum sit. Verum idem Dindorf. in Anaxandridis dicto ap. Athen. XIV. p. 655. A.:

Οὐ μανικόν ἐστιν ἐν οἰκίᾳ τρέφειν ταὼς
ἐξὸν τοιουτουσὶ δ' ἀγάλματ' ἀγοράσαι.

librorum memoriam: οὐχί posthabuit. In altero autem v., de quo diu multum disputatum est, haudquaquam Dobrei satisfacit coniectura, quam Dindorfius recepit. In cod. Marc. A. τοιούτους ἰδυο repertum est, in cod. Epitom. τουτοισὶ δυ', in cod. Pal. τοιούτους δύο, in ex. Venet. τοιούτους δύ'. Itaque cum omnium librorum fide δύ' nitatur, non debebat Dobreus δι' corrigere, praetereaque quod τοιουτουσί scripsit, nixus, ut videtur, cod. Marc. et Epitom., intemperanter usus est τ demonstrativo; qua de re alibi copiosius dicetur. Sed cum Hermannus El. D. M. p. 136. tum οὐχί tutaretur, tum ex. Veneti scripturam particulae γέ additamento et hacce versuum dispositione:

οὐχὶ μανικόν ἐστιν ἐν οἰκίᾳ
τρέφειν ταὼς, ἐξόν γε τοιούτους δύο
ἀγάλματ' ἀγοράσαι.

sententiae non aeque consuluit ac verborum integritati. Nam si statuarum numerus certus cum pavonibus comparetur a pretii aequalitate, item pavonum numerus definitus quidam sit oportet. Ergo cum pavones dicantur indefinite, duae contendi statuae nequeunt.

Sed quoniam δύο tenendum esse significavimus, quaerendum est aliquid, quo res comparata ad certum numerum astringatur. Accipe igitur hoc:

ἐξὸν τοιούτου σοι δυ' ἀγάλματ' ἀγοράσαι.

Apud Diphilum Stob. Floril. tit. XCV, 3. Gaisf.:

Πάντες ἄνδρες οὐδὲν εὐτυχέστερον
τὴν γάρ ἐστι τὰ χείρον μεταβολὴν οὐ προσδοκᾷ.

γάρ deleri voluit Porsonus Adv. p. 256., quem Dobreus sequitur Add. ad. Plut., perperam neglecta orationis coagmentatione, Gaisf. ad Stob. idem in δέ mutari, causa et effectu male disiuncto, Reisig. denique p. 29. in γέ converti rectissime. Quocirca operoso Hermanni p. 136. consilio, ad metrum trochaicum hos versus astringentis, facillime caremus. — Nicostratum ap. Athen. III. p. 111. C.:

Ναστὸς τὸ μέγεθος πηλικοῦτος, δέσποτα,
λευκός. τὸ γὰρ πάχος ὑπερέκυπτε τοῦ κανοῦ.
ὠσμὴ δέ —

Porson. Adv. p. 213., Meinek. curr. critt. p. 15. Hermannus p. 129. transposita γάρ post πάχος, sanabant. Miror autem, quod particulam sustentarunt, a sententiarum nexu alienissimam. Singula enim rei cuiusque attributa deinceps enumerare licet, aut non vincta *omnino*, aut copulata δέ particula. Non igitur γάρ loco movenda, sed in δέ convertenda erat. — Apud Xenarchum Athen. XI, 473. F.:

Εὖ δὲ μηκέτ' ἔγχει, παιδάριον, εἰς ἀργυροῦν
εἰς τὸ βαθὺ δὲ πάλιν ἄγωμεν. εἰς τὸν κάνθαρον
παιδάριον, ἔγχει, νὴ Δία, νὴ τὸν κάνθαρον —

Dobreus sibi visus est, Add. ad Plut., sublato δέ post βαθύ, metri vitium removere. Verum cum eo loco posita particula sit, unde fere alio a scribis transferri solet, hoc ipsum, quod eo loco conservata est, fidem videtur ei facere certissimam. Contra cum v. 1. librorum memoria contestatum sit ἀργυροῦν, quod licenter in ταργυροῦν Dobreus convertit, orationis concinnitas efficit, ut id membro, quod verbis εἰς ἀργυροῦν plane respondet

ex contrario, articulus eiiciatur. Lusum autem poeta; verbis εἰς βαθὺ — πάλιν ἄγωμεν — εἰς τὸν κάνθαρον — ad rei maritimae similitudinem compositis, consectatus est haud inelegantem, id quod ex parte quadam perspexit Schweighaeuserus. Sed quod Dobreus haec ita distribuere inter personas conatus est, ut versum primum convivae cuidam, alterius dimidium ministro, verba εἰς τὸν κ. — νὴ Δία rursus convivae, et ultima, quae sic scripsit ναί, τὸν κ. alii convivae assignaret, infeliciter opera ei successit; neque enim licuit ullo modo ministro h. e. servo haec: εἰς βαθὺ δὲ π. ἄγωμεν dicere plurali numero. Omnia unius sunt hominis, et extremo v. tertio fortasse scribendum: νὴ Δί' εἰς τὸν κ. — Apud Menandr. in Stob. Floril. LXVIII., 28. Gaisf. p. 216. Mein.

Πατρῶ' ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς οἰκήσοντα
τὰ δὲ μετὰ γυναικὸς εἰσιόντ' εἰς οἰκίαν —

vere Porson. Adv. p. 256. τὰ μετὰ γ. δ' correxit, nec probo, quod Meinekius, alio Stobaei loco, ubi eidem versus afferuntur, ductus particulam eiecit. — Eiusdem poetae versum ap. Stob. Floril. XLIII, 24. Gaisf. p. 337. Mein.:

κοινὸν ἀγαθόν ἐστι τοῦτο χρηστὸς εὑτυχῶν

emendavit post Dorvill. ad Charit. p. 227., quem Mein. significavit, Dobreus Add. ad Eccles. 70. p. (142), τοῦτο transposito post ἀγαθόν. A lenitate mutationis deterius est, quod Meinekius scriptum coniecit: κοινὸν γὰρ ἀγαθόν ἐστι χ. ἰ. — Apud Philemon. p. 409. Mein.

Χαλεπὸν ἀκροατὴς ἀσύνετος καθήμενος

γέ post χαλεπόν adiiciendum esse annotarunt Dobr. Add. ad Plut. et Meinekius. — In Damoxeni v. ap. Athen. III. p. 103. A.:

ἐνιότε δ' ἀφεστὼς παραπελεύομαι, πόθεν —

verissime δέ expunxit Hermannus, coll. Reisig. p. 68. et Dobr. Add. ad Plut. Longe minorem persuasionem habet Meinekii ἔσθ' ὅτε, prolatum in Curr. critt. p. 14.

Sed quo consilio G. Dindorf. vitiosam tribrachi et anapaesti copulationem conservarit, non intelligitur.

Haec igitur plene exposuimus, ut Dawesianum praeceptum, ratione inventum, consuetudine intelligeretur postarum firmiter corroborari. Sequitur nunc altera pars quaestionis, quae ad versus, proceleusmatico infectos, pertinet. Nam et vitiosos id genus versus esse, et cur vitiosi essent, supra significatum est. Exempla autem singula sic recensebimus, ut primo loco quaedam, defensa ab aliis et reiecta rursus, proceleusmaticum non continere omnino, si fieri possit, demonstremus.

Quod Elmsleius ann. ad Eurip. Medeam 1129. crases, velut quando χρύσεὸς in χρυσοῦς, ὀστέων in ὀστῶν contrahi oporteret, a Colucis negat admissas esse in recitatione, nisi ipsa essent scribendi ratione declaratae, partim verum esse partim falsum, antea annotatum est. Etenim vocales duae, quae assolent Atticorum dialecto ita coniungi, ut tertius quidam sonus isque diversus ab utraque vocali oriatur, nunquam, quod sciam, in vulgari sermone ita usurpatae sunt, ut prima vocali quasi oblitterata, conservata altera, unius syllabae spatio comprehenderentur. Quanquam ex hac re non consequitur ullo modo, quotidiano Atticorum sermone θεός et νέος non pronuntiata esse una syllaba, quippe quibus vocabulis contractio ea, qua tertius quidam prodit sonus, nunquam adhibita sit. Nam quod Porsonus ad Eurip. Orest. 393. eiusmodi contractionem videtur veterum Atticorum consuetudini tribuere, ex nominibus quidem propriis, qualia sunt Θουκυδίδης, Θουφάνης alia, nequit in hanc rem colligi quicquam, tum quod nomina propria, praesertim longiora, ut quantum fieri posset decurtarentur, usus creberrimi postulabat facilitas; neque enim in aliis compositis contractio illa locum habet; tum, quia, si Θους dictum esset quotidiana consuetudine, constanter debuisset in nominibus propriis forma contracta obtinere.

Praeterea mirum foret, si Tragici, ubi una syllaba opus esset, non θεύς potius dixissent, quam θεός. Verum, ut ad Elmsleium revertamur, si vocales pronuntiatione ita copulentur, ut prima quasi sublata, alterius natura non immutetur, Atticos coniunxisse dicendo duas syllabas, quin scriptura copularentur, certissimis testimoniis evincitur. Quippe scripturae fides monumentorum auctoritate nititur, quibus si quid contestatum est, quod per se non repugnat vel rationi vel linguae naturae, accipiendum est religiose, neque, causae explicatione desiderata, protinus reiiciendum. Itaque non licet retinere ab Aristophanis trimetro nomen Θιαγένης, cretici mensura contentum, de quo v. Lobeck. ad Rhynich. p. 653.; Ἡρακλέα reperiri trisyllabum Thesmoph. 26. Reisig. annotavit Comm. crit. ad Oed. Col. p. 330.; Eccles. 812. recte a Dindorfio, cui accedit Rav., scriptum est: ὦ δαιμόνι ἀνδρῶν, ἔα με τῶν προύργου πράξεων, et Nubb. 932. in dimetris anapaesticis hoc: δεῦρ' ἴθι, τοῦτον δ' ἔα μαίνεσθαι vere retinuerunt Hermannus et Reisigius. Quocirca intelligenter Meinekius Curr. crit. p. 14. formas δεῦ, δεῦσι, δεῦσί monosyllabas, quod ad recitationem attinet, revocavit ex Codd. auctoritate in compluribus Comicorum dictis, nec debebat Guil. Dindorf. ad Ran. 264. novum quoddam scribendi genus introducere; quid, quod Elmsleius ipse ad Acharn. 178., etsi praeter necessitatem, ἔα una syllaba comprehendi voluit Thesmoph. 176. et θέασαι duabus, ibid. 280.? Verum, cur tam pauca hoc generis exempla reperiantur, sed reperiantur tamen, facile explicari potest. Nam cum legitime vocales ευ, εω copularentur pronuntiando, scribendi rationem patet ad pronuntiationem oportuisse accommodari; at sicubi, coniunctione adhibita in recitando, primigenia vocis cuiusdam forma fere obscuraretur, scribendi accurationem a significanda coniunctione abhorruisse, consentaneum est. Ex quibus duo rursus consectaria sunt. Neque enim propterea, quod in vocalibus εα εω raro admissa coniunctio est, quin scriptura

ostenderetur, eadem censenda est ab aliis vocalibus, velut ιο̄, ιᾱ, ιω̄ aliena esse, quoniam coniunctio scribendi nunquam in has cadit; deinde eo minus scripto esse coniunctionem declaratam, quo magis vocis natura hoc pacto oblitterari videretur. Rationem igitur cum ostensum sit non impedire, quo minus Atticorum quotidiana consuetudo a vocalium, qualis ιο̄, ιᾱ, ιω̄ sunt, coniunctione non abhorruisse censeatur, usune illa comprobetur necne, videndum est. Commodum igitur accidit, quod Seidlerus Excurs. ad libr. de VV. DD. p. 386. 387. vocales ιο̄ et ιᾱ in octo Aristophanis exemplis, duobusque Antiphanis et Menandri peculiari quodam modo recitatas esse, acute observavit; neque abhorret a nostra re, quod in Tragicorum trimetris idem saepius usu venit. Pronuntiandi autem proprietatem illam, quam vere censuit Ed. Wunderus Advers. in Sophocl. Philoct. p. 32. in eo positam fuisse, ut in unam coalescerent syllabam longam, recte idem vulgari tribuit sermoni. Quocirca non videmur in temeritatis crimen incurrere, quod in Equitum v. 681.:

ἐγὼ δὲ τὰ κορίαννʼ ἐπριάμην ὑπερδραμών —

alterum pedem censemus tribracho contineri, tertium dactylo; nam Reisigii coniectura ὑπερδραμών, probata Dindorfio, dubitationem non habet. Sed etiam longius nobis progrediendum est. Nam cum vocalium ιο̄ et ιᾱ, recitatione coniunctarum, altera, quae quasi superat priorem, aut semper, ut ο̄, aut magna ex parte, ut ᾱ, natura corripiatur, non sequitur necessario, ut priore vocali oblitterata, illae producantur usquequaque. Videtur enim ita potius res comparata esse, ut si producantur pronuntiando ᾱ et ο̄, liceat enim hoc signo uti, duarum vocalium quaedam facta putetur contractio; contra si corripiantur, prior vocalis existimetur eiecta esse. Possumus, quibus haec stabiliantur, commemorare haud pauca; sed cum longe plura, vel a librariis inducta vel a criticis recentioribus, etiamnunc latere arbitremur, alio id tempore copiosius pertractabimus. Interea non

dubitamus, hoc modo Aristophanis tutari versum ex Vespp. 1169.:

ὠδὶ προβὰς, τρυφερόν τι διασαλακώνισον

Forma enim διασαλακ. et pronomen satis firmatum est Reisigii disputatione p. 53. sqq. Proinde nec Pluti v. 1012:

νηττάριον ἂν καὶ Φαττίον ὑπεκορίζετο

nec Machonis v. ap. Athen. VIII. p. 346. B.:

εἴσαγε διὰ πασῶν Νικολᾴδας Μυκονίας

vitio laborat. Ceterum, ne hoc dissimulare videamur, synecphonesin his versibus adhiberi posse, Hermannus significavit p. 128. — His quaedam adiungemus exempla, immerito a criticis in proceleusmaticorum numero posita. Apud Aristoph. Equitt. v. 7.:

αὐταῖς διαβολαῖς. ὦ κακόδαιμον, πῶς ἔχεις;

in lemmate schol. ad h. v., in schol. ad v. 495., ap. Suid. V. I. p. 383. et in ex. Iunt. I. αὐταῖσι repertum est, quod Hermanno praeeunte p. 128. suscepit Guil. Dindorfius. Quodsi praeter horum auctoritatem causa, cur ῑ adderetur, alia non extaret, codicum omnium, quotquot collati sunt, fidem eis praeferendam fuisse pateret. At argute, inquit, hic versus tertio: αὐταῖσι βουλαῖς — refertur. Largior referri; sed idem accuratam esse argutamque relationem nego, nisi δια monosyllabum habeatur. Quod tametsi fieri posse, supra ostendimus, tamen, nisi flagitante monumentorum fide, non admittendum est. Tenendum est autem, summam esse in syllabis ταισι | βουλαις et ταιςδι | αβολαις sonorum concinnitatem, ut ab elegantia Aristophanea nihil absit quicquam codicum memoria; cfr. Reisig. p. 143. — Pacis v. 682. ne ad speciem quidem huc referre licuit, quia in Rav. et Ven. sic scriptum est: ἀλλ' ὦ μέλε ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀμαλδυνθήσομαι, neque ὦ μέλε. Saepissime autem vel in Rav. elisio vocalium negligitur. — Lysistratae v. 982. corrupte ante Brunckium scribebatur:

σὺ δ' εἶ τίς; πότερον ἄνθρωπος ἢ Κονίσαλος —

licet idem a Bekkero in Rav. repertum sit. Quod ad

emendandi pericula criticorum attinet, interrogativum τίς a sententia poetae alienum esse, verissime a Reisigio p. 85. perspectum est; neque enim, ut Reisigii verbis utar, quis sit homo, sed quid sit, utrum ex hominum genere an ex alio, quaeritur. Itaque Bergleri et Porsoni inventum: σὺ δὲ τίς; et eiusdem Porsoni: τίς δ' εἶ σύ; facile praetermittere licet; Bekkero autem σὺ δ' εἶ τίς; πότερ' ἄνθρ. scribi placuit. Porro, quod Brunckius et Dindorf., codd. Pariss. et Voss. secuti, τίς eiecerunt, et iure Reisigius voc. πότερον statim post verbum positò offendisse videtur, et vocem τίς, Ravennate contestatam, temere expelli nolimus, cum praesertim a metrico correctore facile removeri potuerit. Sed propter hanc ipsam Ravenn. memoriam nec Reisigii: σὺ δ' εἶ τί; πότερον probamus, nec Bentleii: σὺ δ' εἶ τί; πότερ'. Constat autem, in interrogatione bipartita saepius priori membro a scribis πότερον adiectum esse; hac igitur voce sublata, et ascita syllaba una, quae a prioribus absorpta est, hunc Aristophani restituimus versum:

σὺ δ' εἴ τις; εἶπ', ἄνθρωπος ἢ Κονίσαλος;

Menandrum ap. Suid. V. I. p. 120. K. = p. 110. Mein.:

Εἶτ' οὐκ εἶχεν οὐ πῦρ, οὐ λίθον
οὐκ ἄλλο τι οὔθ' ἕτερον —

in Bekkeri Anecdd. I. p. 379. sic citatum: — οὐκ ἄλλο τι ἕτερον, Reisigius p. 61. in hanc speciem corrigi voluit: οὔτ' ἄλλο τιν ἕτερον. Nobis egregia videtur Porsoni coniectura, a Meinekio recepta: οὐκ ἄλλ' ὁτιοῦν ἕτερον.

Iam sequuntur versus, qui propter sententiam, dicendi genus vel librorum auctoritatem emendandi sunt. In Lysistratae v. 923. haec scriptura:

αἰσχρὸν γὰρ ἐπ' ἐπιτόνου γε. — δός μοι νῦν κύσαι.

quae in exemplaribus, ne Brunckiano quidem excepto, reperitur, corrigenda erat ex Rav., in quo ἐπὶ τόνου est, cod. Trin., Paris. A. et schol. lemmate, ubi coniuncta est praepositio et nomen, et correcta est ab Reisigio p. 65., Dobreo, Dindorfio. — Thesmoph. v. 100.:

μύρμηκος ἀτραπούς, ἤ τι διαμινυρίζεται — vitiosam esse formam mediam διαμινυρίζεσθαι Dawesius ostendit Misc. p. 562. sq. K., feliciterque restituit διαμινύρεται. In Pluti v. 701.:

οὔκ. ἀλλ' Ἰάσω μέν τις ἀκολουθοῦσ' ἅμα —

vulgatam scripturam Reisig. p. 51. declaravit suspectam esse propterea, quod cur Ἰάσω τις et post ἡ Παράκοιτος a poeta dictum sit, perspici nequeat. Quamobrem opportuna erat Ravennatis discrepantia, in quo cum extet scriptum: Ἰάσω μέν γέ τις ἀκ.; Reisigius subtiliter coniecit emendandum: οὔκ. ἀλλ' Ἰ. μέν γ' ἑπακ. ἀ. Sed quandam nunc dubitationem movet cod. Veneti, a Bekkero collati, memoria: Ἰάσω μέν γε ἀκολ. Nam si ab Aristophane dictum fuit:

οὔκ. · ἀλλ' Ἰάσω μὲν γὰρ ἀκολουθοῦσ' ἅμα

potuit compendium γάρ particulae et pro γέ et pro τίς haberi, ut utraque esset scriptura in Ravennate coniuncta. — In Alexidis versu ap. Athen. VI. p. 223. E. vulgatam:

A. ἀπόλαβε. B. τουτί δ' ἔστι τί; A. ὃ παρ' ὑμῶν ἐγὼ
παιδάριον ἔλαβον, ἀπαφέρων ἥκω πάλιν.

corruptam esse Reisig. ostendit p. 49. 50., emendavitque sic: ἀπόλαβε. τί δὲ τοῦτ' ἐστίν; Verum ad mutationem lenius hoc videtur:

ἀπόλαβε. τοῦτο τί ἐστιν;

Nam cum, syllaba το praetermissa, scriba exarasset: τουτί ἐστιν, post additum in fine sententiae est, quod desiderabatur pronomen interrogativum. Sed vehementer respuendum est, quod Porson. Adv. p. 95. sic existimabat versum redintegrari posse: ἀπόλαβε· τουτὶ δ' ἔστιν, ὃ παρ' ὑ ἐ.; nam isto quidem pacto inepte loquacem hominem facit, qui, cum rem simpliciter declarare licuerit his: ἀπόλαβε, ὃ παρ' ὑμῶν ἐγὼ παιδάριον ἔλαβον, multis verborum ambagibus nihil consequitur, quod simplici illo loquendi genere non contentum sit. Praeterea extat de hoc versu Dobrei quod-

dam commentum in Add. ad Plut., probatum Dindorfio; nempe intercidisse verba quaedam ante haec: ὁ παρ' ὑμῶν ἐγώ —. Sed da, quaeso, quid in hac sententiae perspicuitate et consequentia simplicissima oblitteratum putes.

Restant pauca exempla, emendanda propterea, quod proceleusmaticus ab iamborum lenitate alienus censeatur necesse est.

Acharnensibus 77. 78.:

οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους
τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν.

cum Brunckius, secutus cod. B., τέ deleri iussisset, post concinnitati orationis, qua in utroque versu τὲ καί copulantur, hoc intellexit officere. Quocirca mirum est Elmsleii consilium, priore v. istas tutantis particulas, atque altero corrigentis: ἡμεῖς δὲ λαικαστάς γε; etsi hoc, nisi congruentiae lex impediret, sententiae conveniret apprime. Sed Brunckius, conservato τέ, simpliciter φαγεῖν, arguta ad posterius καταπύγονας relatione oblitterata, scribi voluit, id quod antea voluerunt Morellus et Bentleius. A Brunckii errore non abhorruit G. Dindorfius, qui quod Theophili attulit versum: ἀνδρῶν ἁπάντων πλεῖστα δυναμένους φαγεῖν, nihil dixisse consendus est, quoniam Theophilum sese composuisse ad Aristophanis imitationem demonstrare neglexit. Sed quod ab his vitiis liberum esset, et ad mutationem admodum lene, egregie invenit Elmsleius: δυνατούς, rite comprobatum Hermanno p. 129. — Eiusdem fab. v. 112.:

Εὐριπίδη, πειδήπερ ἐχαρίσω μοὶ ταδί
κἀκεῖνά μοι δός —

μοί post ἐχαρίσω collocatum eiecerunt Bentleius, Reiskius, Porsonus, Brunckius, Elmsleius, Hermannus, Dindorfius. Ad elegantiam orationis nonnihil facit, quod attractionis quadam specie ad alterum membrum pronomen reiectum est. — Vespis 967.:

ὦ δαιμόνι' ἐλέει ταλαιπωρουμένους

quoniam unus defenditur canis Labes, misericordia,

quam Bdelycleo, qui eius extitit defensor, implorat, ad solum pertineat Labetem eiusque defensorem necesse est. Itaque valde exoptatum accidit, quod Ravennatis et Veneti memoria proditum est τούς ante ταλαιπωρ. Iam ubi eo animum adverteris, primum, quod defensione, quae testibus productis instituebatur, nihil videbatur perfici posse, quippe Philocleone testimonia statim reiiciente, tum quod post Philocleo subito se profitetur ad leniorem esse sententiam adductum et mitigatum, recte videmur priorem versus partem ita emendare:

ὦ δαῖμον, ἕλει

Sic enim, qui humana arte nihil se consequi posse sentiret, ad divinum confugit auxilium; et qui ratione commoveri non potuit, divino beneficio delinitur. De Ranarum v. 76.:

εἶτ' οὐχὶ Σοφοκλέα πρότερον ὄντ' Εὐριπίδου
μέλλεις ἀνάγειν; —

non assentimur Hermanno p. 125. in eo, quod omisso participio ὄντα, metro et sententiae optime consuli existimavit. Nam ut simpliciter interrogare Hercules potuerit, velletne Sophoclem potius, quam Euripidem reducere, valde interrogationis patet vim augeri eo, quod causam Hercules, ob quam Sophoclem velit revocari, adiicit. Itaque egregie sic locutus est Hercules: nonne Sophoclem, quippe qui multo sit Euripide praestantior, reducere vis? In participio igitur insignis quaedam vis inest. Accedit, quod hoc modo ictus, qualis solet esse formae Σοφοκλέης et similium in comicis trimetris, si ante caesuram penthemimerem collocentur, plane tolleretur, de quo satis a Reisig. p. 62. expositum est. Atque eandem ob causam initio versus mendum haereat necesse est. Quocirca dubitari nequit, quin οὐ pro οὐχί scribendam sit. Nam quod Guil. Dindorfius indoctam hanc nuncupat correctionem, doctrina quidem, quae veterum dictis emendandis adhibetur, in eo cernitur, ut ne quid corrigendo restituatur, quod dicendi

proprietati linguae cuiusque adversetur; nisi forte corruptelam, quae frequenti scribarum errore nititur, removere indocti est. — Praeterea commemorandum est Eupolidis dictum ap. Athen. XIV. p. 623. E.:

Καὶ μουσικὴ πρᾶγμ' ἐστὶ βαθύ τι καὶ καμπύλον.

Vehementer ego dubito, num cum Eustathio scribendum sit ἢ μ., quod cum dubitanter Dindorfius proposuisset, confidenter recipiendum existimavit Lucas Obss. in Cratin. p. 7.; potuit enim hic versus ad priorem quandam sententiam pertinere. Sed quod ad numeros attinet, nihil auxilii ferunt libri MSS., praeter cod. Palat., in quo est βαθύ τι καμπύλον; quod, etsi casu eum potius, quam consilio praebere opinatur, sua tamen assensione comprobat G. Dindorf. At neque καί nec τί praetermitti potuit, quin versus quasi debilitaretur, licet Hermannus p. 130., hoc ejecto, multo elegantiorem futurum versum censeat. Sciendum est autem, voc. καμπύλος frequenter adhiberi alii voci explicandae; Grammat. in Bekk. Anecdd. I. p. 329. l. 4. sic commentatur: ἀγκύλον. καμπύλον, ἐπικαμπές; quocum congruit Suid. s. v. ἀγκύλον, Hesych. V. I. c. 51.: ἀγκύλεσθαι, κάμπτεσθαι. Contra καμπύλος non solet explanari voce ἀγκύλος, v. Hesych. V. II. c. 134., Suid. s. v. καμπύλα τόξα. Quocirca hoc videtur lenissimum remedium esse, ut κἀγκύλον restituatur; quod cum expulsum esset a glossemate καμπύλον, post rursus καί additum est. Itaque liber Palatin. ex alio, in quo nondum accesserat καί, videtur descriptus esse. Sed, ne quis sono vocis κἀγκύλον offendat, ascribo Aristoph. v. ex Thesm. 236.: ἀνίστασ', ἵν' ἀφεύσω σε, κἀγκύψας ἔχε. — Platonem comicum ap. schol. ad Eurip. Hecub. 821. Matth.:

οὗτος, τίς εἶ; λέγε ταχύ, τί σιγᾷς, οὐκ ἐρεῖς;

integerrimum habent Reisigius et Hermannus. Sed cum in promptu sit, pronomen τί delere, quod Dobraeum quoque voluisse video, duo assunt, quibus nostram stabiliamus sententiam. Cum enim locutionum, velut

τί ποιεῖς; et similium, frequens apud scenicos poetas usus sit, facile accidit, ut librarius pronomen, quod requiri videretur, adderet; cuius rei eo maior vis in hoc versu est, quod non in multitudine codicum τί repertum est, sed in uno fortasse alterove, ex quo scholion manavit. Tum ad interrogationis naturam, sublato illo pronomine, dictum videtur accommodatius esse. Nam cum verba λέγε ταχύ celeritati curiose interrogantis describendae maxime conveniant, indignationis sensus, qui, quo certius responsum exspectabatur, eo maior est, quasi sua sponte videtur ad longarum gravitatem syllabarum ferri; longe autem indignatio remissior foret, si, τί pronomine remoto, causam quis sciscitaretur silentii. — Alexidis v. ap. Athen. IV. p. 170. C.:

τῆς ὀριγάνου
πρώτιστον ὑποτιθεὶς εἰς λόπαδα νεανικήν —

etsi olim leni emendatione: ὑποθεὶς restituit Casaubonus, de veritate tamen Schweighaeusero non persuasit, et soni eiusdem repetitionem aegre ferenti, et verbi finiti omissionem. Quare ὑποτίθει εἰς scriptum coniecit, quod a Meinekio Curr. critt. p. 21. in ὑποτίθεί 'ς conversum est. Sed prior Schweighaeuseri dubitatio elevata supra est; altera errore nititur, qui saepe transversos egit criticos. — Apud Eubulum Athenaei XV. p. 679. E.:

A. Στεφάνους ἴσως βούλεσθε, πότερον ἐρπυλλίνους
ἢ μυρτίνους, ἢ τῶν διεξηνθισμένων;
B. τῶν μυρτίνων βουλόμεθα τούτων
σὺ τἄλλα πώλει πάντα πλὴν τῶν μυρτίνων.

Canteri coniecturam: πότερ' probamus cum Hermanno et Dindorfio; neque enim asperitatem pronuntiandi videtur eam habere, quae ab Attica comoedia abhorreat, id quod Reisigio visum est p. 61. Aliam emendandi viam Dobreus iniit ad Plutum 361., de qua recte ut iudicetur, prius de ultimis duobus versibus dicendum est. Qui cum in libris sic reperirentur scripti, ut supra leguntur, nisi quod v. 4. σύ τ' ἄλλα proditum est, et me-

trum et sententia ab integritate aberat; itaque Hermannus in libro de Metris scriptum coniecit: τούτων, ἀλλά συ τά γ' ἄλλα πώλει, Porson. Adv. p. 127.: τούτων, εἰ θέλεις, σύ τ' ἄλλα —, et Dobraeus l. c. τουτωί· σὺ δὲ ἅπαντα πώλει τἄλλα πλήν. — Atqui emptorem, sic locutum: equidem coronas emam myrteas; reliquas autem praeter myrteas vende omnes," nonne credis ineptire aliquantum? Sed venditorem cogita, ut assolet fieri, prolixe coronas ex serpyllo factas, myrteas et ex aliis floribus contextas commemorare, neque in promptu habere, nisi de uno genere quasdam, atque accommodatissime respondebit emptor:

τῶν μυρτίνων βουλόμεθα γὰρ τούτων, ἐπεὶ
σὺ τἄλλ' ἐπώλεις πάντα πλὴν τῶν μυρτίνων.

Quodsi haec videbuntur probabiliter dicta esse, Dobraei coniectura de priore versu:

στεφάνους ἴσως βούλεσθε· πότερον μυρτίνους
ἢ ῥπυλλίνους;

improbetur necesse est; neque enim debuit ille, qui varias videri voluit coronas habere, id ipsum genus, quod unum habebat, primo loco appellare. — Leve est, quod apud Sotadem Athen. VII. p. 293. C. extabat:

ταύταισι προσέλαβον σηπίας καὶ τευθίδας.

Correxit Schweighaeuserus ταύτας.

HALAE,
TYPIS SCHIMMELPFENNIGIANIS.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

CAP. I. De Philonide comico aliisque viris cognominibus p. 1—36.

CAP. II. Emendatur et explicatur Pherecratis fragmentum, enarraturque Chironum Cratini argumentum p. 36—68.

CAP. III. Definitur annus et festum, quibus Lysistrata acta est, et annus Thesmophoriazusarum p. 68—90.

CAP. IV. De copulatione tribrachi vel dactyli et anapaesti in iambicis versibus vulgaribus p. 90. usque ad finem.

INDEX SCRIPTORUM.

Aelianus, Historia Animal. p. 76.
Aeschylus Prometheo. 43.
Alciphro. 76.
Alexis. 142. 157. 161.
Amphis. 147.
Anaxandrides. 139. 149.
Anonymus de comoedia. 3. 6.
Antiphanes. 42. 48. sq. 66. 96. 130. 149. bis.
Mich. Apostolius. 5.
Ael. Aristides. 65.
Aristophanes Acharnensibus. 13. 93. 96. 98. 100. 109. 113. 115. 134. 136. 146. 147. 158. bis. Equitibus. 4. 110. 111. 115. 120. 142. 154. 155. Nubibus. 63. 106. 138. Vespis. 3, 109. 155. 158. Pace. 97. 134. 143. 155. Avibus. 89. 99. 112. 115. 116. 135. bis. 144. Lysistrata. 68. 78. 100. 104. 120. bis. 122. 142. 143. 155. 156. Thesmoph. 83. 85. 97. 112. 123. 147. 157. Ranis. 124. 136. 145. bis. 159. Eccles. 98. bis. 117. 137. 138. 145. Pluto. 31. 103. sq. 120. 123. 136. bis. 155. 157. Fragm. Babylon. 79. Senect. 40. Geryt. 138. Daedal 139. Tagenist. 102. 148. Thesmoph. alt. 137. incert. 113. 143.
Bato. 137.
Chionides 46.
Cicero Bruto. 119. de Re publ. 105. 120.
Clearchus, 130.
Comicus inc. 65. 66.
Corpus Inscr. 24.
Cratinus Chironibus. p. 58—66.
Damoxenus. 132. 133. 145. 151.
Diogen. Laert. 34.
Diphilus. 47. 140. 150.
Ephippus 125.
Eubulus. 45. 125. 137. 142. 161.
Eupolis. 43. 45. 80. 140. 160.
Euripides Bacchis 129. Hippol. 119. Iphig. Aulid. 129. Suppl. 102.
Heniochus. 135.
Hesychius. 11. 12. 96.
Hippolochus. 76.
Lysias. 31. bis.
Macho. 46. 128. 133. 137. 155.
Menander. 54. 96. 126. 130. 137. 143. 151. bis. 156.
Nicochares. 30.

Nicomachus. 131.
Nicophon. 16. 17.
Nicostratus. 150.
Parmeno. 95.
Pherecrates. 36. sq. 139.
Philemo. 145. 151.
Philetaerus. 127.
Philochorus. 76.
Philonides Cothurnis. 10. bis 11. 13. bis fragm. inc. 15. 16.
Photius. 5. 15.
Plato Comicus. 40. 59. 93. 97. 116. 117. bis. 124. 160.
Plato Epinom. 38. Phaedon. 103. 119. Protag. 41. 122. 140. 141. de Re publ. 119.
Plutarchus de Mus. 36. vit. Lycurg. orat. 74.
Schol. ad Aristoph. Acharn. 4. ter. Argum. Acharn. 24. ad Nub. 2. 8. ad Vesp. 4. 60. Argum. Vesp. 24. Argum. Av. 22. ad Thesmoph. 87. ad Ran. 86. Arg. Ran. 23. ad Plut. 27.
Scriptor vit. Aristoph. 4.
Sophocles Aiace. 103. Oedip. Reg. 101. Trachin. 103.
Sotades. 162.
Stephanus. 130.
Stobaeus. 18.
Suidas. 5. 74.
Theopompus. 151.
Thucydides 98.
Xenarchus 150.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

P. 1. l. 18. Apud Eudociam scriptum extat πρότερον ἦν γραφεύς. Eadem vocabula ap. Theophr. Notatt. IV. confusa sunt. P. 4. l. 2. nunc. scr. tunc. P. 15. bis perperam καταχύσ-ματα exaratum est; p. 73. l. 7. ἀναγ-νόντα. p. 102. l. 10. λυχ-νοφόροισιν. P. 21. Debebam dicere vel didascalias, vel didascaliarum librum, cum unum tantum didascaliarum librum Aristoteles composuerit, teste Diogen. Laert. V, 26. P. 43. l. 3. a fin. pro suppfendum scr. addendum, pariter ac p 65. l. 2. P. 46. l. 8. pro quidem scr. quidam. P. 53. l. 17. pro erat esset. P. 65. l. 14. et 66. m. corr. ἑτοῖν. P. 112. l. 12. pro at ac. P. 122. l. 20. post necesse intercidit est. P. 134. l. 4. Acharn. v. 68., qui ibi afferendus erat, e codd. emendavit G. Dindorf., explicuitque Bernhardyus Eratosthen. p. 37. P. 142. l. 12. Praetermisimus Eubulum ap. Athen. XI. p. 473. F., corruptum a Toupio. P. 143. l. 25. scr. trimetris. P. 145. l. 15. Addendus erat Menand. p. 44. M., quem sic corrigimus: οἰδοῦσιν. εἶτ' ἔλαβον σάκιον κεἰς τὴν ὁδόν.

Leviora quaedam, maxime in graecis vocabulis, commemorare non attinet.